



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theodōritu Episkopu Kyru Kai Eyagriu Scholastiku
Ekklesiastikē Istorìa, Eklogai Apo Tōn Istorion
Philostorgiu Kai Theodōru**

Theodoretus <Cyrrhensis>

Mogvntiae, 1679

Lucae Holstenii Dissertationes Tres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14162

LUCÆ HOLSTENII
DISSERTATIONES TRES.

DISSERTATIO PRIMA,
de locis quibusdam Concilii Nicæni.

DISSERTATIO SECUNDA, IN
loca quædam Concilii Nicæni.

DISSERTATIO TERTIA, DE
Synesio & de fuga Episcopatus.

De ...

...

...

LUCAE HOESTENII

DISSERTATIONIS TRES

DISSERTATIO PRIMA

de locis quibusdam Concilii Nicaeni

DISSERTATIO SECUNDA IN

de locis quibusdam Concilii Nicaeni

DISSERTATIO TERTIA DE

de loco & de sacra Episcopatus

DISSERTATIO PRIMA
DE LOCIS QUIBUSDAM
CONCILII NICÆNI.

NEMINEM vestrum esse existimo, Auditores, qui quidem Græcas litteras & sacrarum Antiquitatum studium ex merito æstimet, cujus animum nobilissimus hic Confessus singulari quadam non perfundat lætitia; dum Musas ortu quidem cultaque Græcas, sed Romanæ civitati longo quondam & benigno hospitii usu non solum familiares, sed vernaculas, nunc demum postliminii jure, loco ac dignitati suæ restitutas videt. Nostri hæc sæculi felicitas est, sacram hanc eminentissimæ dignitatis purpuram protractas ex tenebrarum latebris Græcæ disciplinas nova luce novoque splendore perfundere; aut, ut verius dicam, ex Græcarum litterarum splendore purpuram ipsam dignitatis ac gloriæ incrementum sibi mutuari. Vestræ hoc, Eminentissimi Principes, humanitati debemus, Græcas litteras pertinaci multorum ignorantia in capitis discrimen jam pridem vocatas non solum caput nunc efferre, sed etiam quam latissime propagari. Neque sanè fortiori telo retundi & jugulari poterat inficitæ error, qui non solum Græcas litteras ut otiosas atque inanes negligit, verum etiam uti temporis, rei pretiosissimæ, frustra consumendo perniciosas ac noxias contemnit, & veluti de victis Achivis in sua sibi ignorantia trophæum erigit. Cui quidem opinioni, ut ingeniorum pesti & præsentissimo omnis bonæ eruditionis veneno, cum tota hæc doctorum hominum cohors vestro ductu vestrisque auspiciis, cunctis sese animi ingenique viribus opponere, manusque contra conferere sit parata, tum vero mihi velitari leviter ex hoc loco constitutum est adversus nonnullorum ignaviam dicam an væcordiam, qui ideo se Græcis litteris tempus frustra conterere negant, quod nihil in Græcorum adytis tam abditum reconditumque lateat, quod doctorum hominum industria non in lucem protraxerit, atque ita in Latinum transfuderit sermonem, ut universa jam Græcia, Romana civitate & Latii jure donata, pallium cum toga commutarit. Horum inquam hominum errorem, non tam verborum copia, aut conquistarum undique rationum momentis oppugnare, quam evidentissimo veritatis exemplo ob oculos omnium proposito revincere conabor. Quod quidem exemplum non ex vulgari aliqua eruditionis parte, sed ex sacrosancta Conciliorum ge-

neralium doctrina, quæ proximum à sacris litteris in Ecclesia locum obtinent, deprometur. Neque enim vestrum quenquam latere arbitror, quanto studio post repurgatos Bibliorum fontes, Conciliorum generalium accurata omnibusque numeris absoluta editio à Clemente VIII. S. P. suscepta, & à Paulo V. demum perfecta fuerit. Quæ ut magno applausu accepta in vulgus prodiit, ita quamplurima habet, in quibus pressio-rem curam docti viri desiderant; ii inquam qui Græca legere & de Græcis recte judicare possunt. Ego sane qui nulla aut perexigua admodum in hinc facultate me instructum sentio, cum nescio cujus controversiæ occasione in aliquot sextæ & septimæ Synodi loca diligentius inquirere cœpissim, ita me partim Græci textus navis, partim Latinarum versionum portentosis erroribus offensum fateor, ut in illud Comici proruperim; *Huius tantæ rem tam negligenter ager.* Itaque ab ovo, quod ajunt, rem exordiri, & quæ supersunt Nicæni Concilii *Ἐπιστολαὶ* sub examen revocare placuit; Cujus privati laboris ac studii specimen in publico hoc confesso vobis exhibendum duxi, quandoquidem disserendi necessitatem vestra benignitas mihi imposuit. Ex autem sunt duæ Alexandri Alexandriæ Episcopi epistolæ, quæ ex Socratis & Theodoretæ Ecclesiastica Historia depromptæ *Ἐπιστολαὶ* Concilii illius constituunt. Egregiè sane illæ & *ἁγιῶν* scriptæ, quibus Latina Christophoroni versio adjungitur; sed à Romanis editoribus nonnullis in locis interpolata. Ita scilicet non solum versionis Conciliorum, sed universæ Historiæ Ecclesiasticæ gustum aliquem me vobis præbiturum putavi. Sed mihi vestra principio patientia exoranda est, ut æquo animo per confragosæ orationis salebras aspirantem subsequi non gravetur. Cum sive casus, sive consilium eam mihi objecerit materiam, quæ orationis cultum haud quaquam admittit, & quod Oratorum princeps de rebus Geographicis agebat, *ἀντιλογησάμενος* nullo modo potest.

Ad hæc cum in alieno labore ingenii acumen experiri & iudicii censuram exercere instituerim, ut ego Germano candore ac fide optima calumniam ejuro, ita invidiam deprecor, ne quis alienis orratis exagitandis doctrinæ aut industriæ

laudem me aucupari existimet. Publica hæc studia sunt, quibus promovendis publicam utilitatem, non privatam laudem querimus. Vos vero, Eminentissimi Principes, submisit rogo, ut cum voluntas atque auctoritas vestra in hunc me protraxerit locum, humanitatis ac benevolentiae vestrae aura, orationis cursum inter syrtes & breviam astantem sublevetis.

Et mihi quidem disserendi principium ipsum epistolae exordium præbet, quod cum ex sacrae scripturae locis adumbratum sit, non omnino ex ejusdem scripturae mente conversum existimo. Ubi hoc item mihi præstandum, si leviora quædam sub examen adducere, & ἔφορχίζω, vel diligentius refecare videar, nemo me vel nodum in scirpo quarere, vel animi morbo λησολογίας sectari arbitretur. Neque enim leve est aut dilutum, quod veritati confirmanda, & sacrae Scripturae illustranda facit. Sic ergo Alexander orditur: ἐν δευτέρῳ τῷ ἐν τῷ πνεύματι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Quod in veteri Interprete, & in nova Conciliorum versione sic creditur: Cum sit unum corpus Ecclesie Catholicae. Haud negaverim, Corpus Ecclesie, sive σώμα τῆς καθολικῆς, eodem modo dici posse, quo Corpus provincie, & Corpus civitatis, Livio, Corpus Reipublice Cicero; quo Jurisconsultis Corpora collegiorum, sive fabrorum, aliaque usurpantur. Sed illud contra contendo, multo significantius ad sacrae Scripturae mentem sic converti: Cum unum sit Corpus Ecclesie Catholicae; vel, Cum Ecclesia Catholica uno constet corpore. Hæc inquam, scriptura loquendi ratio, ut Ecclesiam Christi Corpus ubique vocet, non autem Ecclesie, vel tanquam capiti, vel tanquam animæ corpus distinctum ac peculiare attribuat. Ita enim Divus Paulus Rom. 12. vers. 4. Sicut in uno corpore membra multa habemus, ita multis unum corpus sumus in Christo: ὡς εἰ πολλοὶ ἐν σώματι ἕσμεν ἐν χριστῷ. Hoc est: Unam constituimus Ecclesiam, sive, una sumus Ecclesia in Christo scilicet, ἐκκλησίᾳ κεφαλῆ τῶν ἁγίων, ἡμεῖς ἡ ἀλλήλων μέλη, explicante Oecumenio. Sed multo & clarior & copiosior sui Interpretes est ipse Apostolus 1. Corinth. 12. ubi εἰς τὰς χαρισμάτων, sive ut ipse ait, εἰς πνευματικῶν disputat. Nam v. 12. & 13. ait: Corpus unum est, & membra habet multa. Omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen sunt corpus; ita & Christus. Etenim in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus. Quo loco facere non possum, quin Oecumenii interpretationem addam. Ita & Christus, inquit: ἕως, φωνὴ ὁ χριστός, πολλὰ μὲν ἔχει μέλη τὰς καθ' ἑκάστου. ἐν τῷ σώματι πλὴν κοινότητά τῆς ἐκκλησίας. ἐν τῷ πλῆθει ἑνὸς σώματος, κεφαλῆ ἔχουσα τὸν χριστόν. ὡς εἶναι πλὴν ἐκκλησίαν ἢ τὸν χριστόν ἐν αὐτοτελεῖ σώματι. Nihil fanè magis accommodum ad Apostoli mentem, neque ad institutum nostram dici potuit. Quale est illud quod addit: Baptizatos nos omnes in unum corpus, τὴν ἐκκλῆσιαν, εἰς τὸ πνεῦμα πάντας σώματα ἐν. Unde planè divinum in modum postea in ejusdem capituli explicatione ait, nos, hoc est, Ecclesiam, ἐν τῷ ἑνὶ σώματι εἶναι ἕνα. Hoc est, esse, sive essentiam in Ecclesie unione consistere, sive formam essentialem, vel ut cum Philosopho loquat, τὸ τί ἑστίν. Quæ

A sublatà, neque res, neque nomen Ecclesie amplius subsistere possit. Et sane quisquis, uti par est, arcum illud & sacrosanctum confiderit vinculum, quo mystica Christi membra in unius corporis unionem constringuntur ac coalescunt, haud facile puto, concesserit corpus Ecclesie eodem planè modo dici, quo civitatis, vel Reipublice, aut collegiorum corpora vulgò appellari solent. Quod ut perspicue clareat, luculenta Pomponii J. C. divisio ex 41. Digestorum libro tantisper nobis facem allucebit. *Tria*, inquit ille, *genera sunt corporum. Unum, quod continetur uno spiritu, & Græcè ὡμίμων vocatur; ut homo, lignum, lapis, & similia. Alterum, quod ex contingentibus se, hoc est, ex pluribus inter se coherentibus constat, quod συνωμίμων vocatur, ut edificium, navis, armarium. Tertium, quod ex distantibus constat, ut corpora plurarum soluta, sed uni nomini subiecta, veluti populus, legio, grex.* Hæc Pomponius lanè accuratè. Cujus ad tertium genus, cum corpora illa quæ diximus, sive συσώματα πολιτικὰ pertineant, quis non videt Ecclesiam, mysticum Christi corpus, ad primum genus referendum, quod Pomponius uno spiritu contineri ait? Nonne enim sic Paulus ad Ephes. 4. v. 4. ἐν σώματι ἐν πνεύματι. Unam corpus, & unum spiritum. Unde πλὴν ἐν ὅσῳ τῷ πνεύματι, unitatem spiritus ei studio servandam hortatur. Cujus ipse quasi rationem affert 1. Corinth. 12. ἡ γὰρ ἐστὶν πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν ὡμα ἑκκλησίαν. Nam in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus. Et quid non unionem hanc docet suadetque in Ecclesia? Unus, inquit Paulus, Deus & Pater omnium, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, una spes vocacionis. Unde etiam sequitur: καρδία ἡ ἑνὴ μία, Cor unum, & anima una. Qualem in primitiva illa Ecclesia Lucas Act. 4. 32. nobis describit: Nisi quis forte minus validam firmamque existimaverit unionem illam spiritualem mentium, quam corporum coagmentationem; cum non solum ex Platonicorum elementis Theologicis, sed ex admiranda illa D. Dionysii divotia, omne unitum, sive ὡμίμων, sed sit præstantius ac perfectius, quanto propius, quantoque magis dulcius ἐστὶ τῷ αὐτοῦ, ab ipso illo primo Uno unitur; ac proinde, τῷ αὐτοῦ ἐν τῷ σώματι, ut propius, ita plenius & perfectius sit particeps. Sed ego quod est Græcorum in proverbio, ὑπὲρ τὰ ἰσχυρὰ πρῶτον. Ita ultrò affluens rerum copia, ingenii cursum provocat. Redeo ad lineam; & ne quid dissimulem, duo proponam loca quæ censuram hanc nostram elidere videntur. Prior est ad Ephes. 5. *Vir*, inquit Apostolus, *est caput mulieris; sicut & Christi caput est Ecclesie; & ipse Salvator corporis ejus.* Ecce tibi, inquires, corpus Ecclesie. Audio quidem, sed Interpretis, vel potius Interpolatoris vocem, non Apostoli. Neque enim Græcus textus eam mantissam agnoscit: ἡ αὐτὴ ἐστὶ αὐτὸ τὸ ὡμίμων. Hoc est, *Et ipse est Salvator corporis, subintellige sui, hoc est, Ecclesie.* Neque aliter vetus Ecclesia legit Latina, ut testis est unus omnium instar Fulgentius ad Thrasimundum Regem libro

libro i. cap. 10. qui additamentum hoc nequam agnoscit. Alter locus est ad Colossens. r. v. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesie.* & dicitur *ἔστιν ἡ κεφαλή τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας.* Qui nec ipse, quicquid prima fronte appareat, nos ferit. Cum certum sit duas illas voces, *Corporis Ecclesie*, non vi regiminis, ut Grammaticorum classes vocant, sed per appositionem conjungi. Et ecce tibi luculentum sui interpretem ipsum Paulina, qui mox seq. v. 24. *Adimpleo*, inquit, *ea qua desunt Passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὃ ἔστιν ἡ ἐκκλησία. & ταῦτα μὲν αὐτῶν.

Narrat deinde Alexander, Arii apostasiam & blasphema dogmata quibus Christum Dominum statu graduque divinitatis movere, & Creatorem in creaturæ censum dejicere conabatur. In quibus nonnulla sunt parum rectè constituta in Græcu textu, vel minus accuratè ab interprete observata, vel in quibus antiquus Interpretes Epiphanius Scholasticus, aliam suo tempore lectionem secutus videtur. Quæ cum pressioris sint considerationis, commemorare singula nihil atinet. Illud indicandum, interrogatos Arium ac socios, nunquid ergo Verbum Dei, quod illi creatum assererant, mutari posset, quemadmodum diabolus mutatus fuerat, non veritos responderi posse. Addunt rationem sic in Romana editione expressam: *ἡ ἀπειροὶς ἡ δὲ φύσις ἐστὶ γεννητὴς, ἢ ἀπειροὶς ὑπερῶν;* quod vertunt: *Nam & mutabilis natura factus est, & mutabilis existit.* Qua in re & interpretis Britanni & Romanorum editionem judicium requiro. Nam ut taceam sensum loci jam olim à veteri Interprete rectè expressum, quis rationis hujus pondera ac momenta perpendens, vel Græcorum lectione paulo exercitator, non facile animadvertit ex ipsa loquendi consuetudine, minus rectam distinctionem vitiosam peperisse versionem. Affirmabat Arius Filium Dei, τὸν λόγον, posse mutari; adjungens rationem; *ἡ ἀπειροὶς ἡ δὲ φύσις ἐστὶ.* Nam natura mutabilis est, vel naturam mutabilem obtinet, γεννητὸς ἢ ἀπειροὶς ὑπερῶν, quippe qui factus sive creatus, ac proinde mutabilis est. Quocirca haudquaquam negligenda hoc loco vox γεννητὸς, in qua vis omnis ac nervus impiæ illius assertionis consistit; quam ipse Alexander sequenti epistola repetit, sed verbis magis perspicuis deductam, principio pagin. ix. Ajunt, inquit, Filium Dei cum antea non fuisset, postea factum, factumque talem, ubi factus fuit, quales cæteri sunt homines. *συναγαλαμβύοντες τῆ ᾧ ἀπάντων κτίσει, ἢ τὸν ἕν τῷ θεῷ, Comprehendentes etiam Filium Dei reliquarum creaturarum verum numero.* Statim subjungit: *ἐκ ἀεικόθως ἢ φασὶν αὐτὸν ἀπειροὶς εἶναι φύσις, ἀπειροὶς τῆ ἢ κακίας δεικνύον.* Quibus etiam consequenter addunt, *eum mutabilis esse nature, & virtutis ac virtutis capacem.* Videtis supposito hoc, Filium Dei factum vel creatum esse, ut necessarium inde deduci consequentiam, eundem quoque ἀπειροὶς sive mutabilem esse. Atque sic ratiocinatur Damascenus lib. i. de Orthod. fide

A cap. 3. τὰ κτίσις, πάντας ἢ ἀπειροὶς. ἂν ἡ δὲ εἶναι τοῦ ἀπειροὶς ἤρξεται, ταῦτα τῆ ἀπειροὶς ὑποκρίσεται πάντως, ἢ φθειρομένη, ἢ ἢ ἀφροσύνην ἀλλοιούμενα. *Creata, inquit, omnino etiam mutationi obnoxia. Quorum enim esse à mutatione incipit, ea necessario mutationi subjacebunt, dum vel intereunt, vel voluntate alterantur.* Ita scilicet Arius Filium Dei ἀπειροὶς ἢ κακίας δεικνύον assererat; quandoquidem, ut Justinus Martyr alicubi in quaestionibus scribit, ἀπειροὶς γενέσιμα τὸ τὰ καλὰ ἢ τὰ κακὰ λαμβάνειν εἰς ἑννοίαν. *Mutationis signum ac nota est, bona ac mala in animum sibi inducere.*

Expofitis Arii dogmatibus, Catholica Ecclesie orthodoxam sententiam Alexander opponit, ut veritatis luce prolata stygigenas tenebras discutiat. Urget ἀφροσύνην illos D. Joannis auctoritate; qui verbum in principio fuisse, atque omnia per ipsum facta prædicat. Inde rationibus instat; si Verbum est unigenitus Filius Dei, quomodo asserunt illi, ὅτι εἰς τῶν ποιημάτων; *Ipsium unum esse ex creaturis?* Etsi omnia per ipsum facta sunt, πῶς δύναται εἶναι τῶν δι' αὐτὸν γινομένων; *Qui poterit ipse par esse rebus qua per ipsum facta sunt?* Quo postremo loco Gelasius Cyzicenus, & Epiphanius Interpres rectius jam olim legere, πῶς δύναται εἶναι; *Quomodo potest unus esse horum, qua per ipsum facta noscuntur?* Quam lectionem Græci sermonis constructio aperte requirit. Quamvis ad sensum loci nihil intersit, utrum εἶς cum vulgato, an εἰς cum veteri Interprete legas. Si tamen εἶς retineatur, mutanda hoc modo constructio; πῶς ἢ δύναται εἶς εἶναι τοῖς δι' αὐτὸν γινομένοις, non autem, τῶν δι' αὐτὸν γινομένων. Ita D. Paulus Phil. 2. v. 6. Christum ait non existimasse rapinam, τὸ εἶναι ἴσῶ θεῷ, *Esse se aequalem Deo.* Ita ipse Alexander epistola sequenti Arianos prædicasse scribit, Christum τοῖς πάντων ἴσῶ εἶναι; quod versio Romana, *Christum cæteris hominibus nihil præstantiorem esse*, reddit; nimis sane angustè. Neque enim ad solos homines æqualitatem illam restringebat Arius, sed ad creaturam quoque omnem τῶν λογικῶν ἢ ἀλόγων creaturam. Neque enim aliud istic loci est, τοῖς πάντων ἴσῶ εἶναι, quam hic τοῖς πᾶσι συναριθμῆσαι; Hoc est: Verbum ex ipsorum sententia factum & creatum ex nihilo, reliquarum omnium creaturarum numero inferendum; utpote reliquis omnibus creaturis conditione atque essentia par & æquale. Quamvis ego τὸ ἴσῶ, in hisce locis, æquale potius quam par vertere malim, quo etiam profani Auctores pro coætaneo & coævo passim utuntur, adeoque πρὸς τὴ ἑνομοσύνην ἢ συναριθμῆσαι, contra Arianos exprimentam est peraccommodum. Hæc pauca ad priorem Alexandri epistolam Encyclicam illam sive Catholicam observasse sufficere.

Sequitur nunc altera ejusdem ἀπειροὶς in Romana editione, quod nescio qua incuria in tam diligenti opere admissum fuerit; cum & Theodoretus & Tripartita Alexandro Constantinopolitano Episcopo inscriptam missamque testentur. Equidem cum perlecta primum hac epistola, non unum aliquem, sed plures subinde Alexandrum alloqui observassem, subit suspici-

suspicio, certo consilio *ἐπιτηδεύω*, in Romana editione omiffam. Quod negligentia factum, postea ex erratorum indiculo deprehendi. Quidquid sit, mihi fixa hæc sedet sententia, non privatam aliquam sive tractatoriam hanc epistolam esse, sed & ipsam quoque circularem ac generalem, missam ad diversos Europæ Episcopos. Quod nemo facile negaverit, qui & hujus epistolæ partem extremam cum cura legerit, & Ecclesiasticarum epistolarum formam modumque non plane ignoret. Nam & clausula harum litterarum plane eadem est quæ præcedentium Encyclicarum, qua reliquo Clero per Episcopos salutem impertitur; tum ut sæpius in reliquo epistolæ contextu, ita in fine plures oratione se affari ostendit. Unde ad plures quoque scriptam fateri necessum est. Cum verissimè illud non minus quam doctè à Francisco Bernardino Ferrario lib. 3. de antiquo epistolarum Ecclesiasticarum genere, observatum sit, morem antiquitus invaluisse, ut iidem honorum tituli sub finem epistolarum iterarentur, quibus initio singuli ad quos scribebant, fuerant appellati. Sed quorsum hæc, inquires? Non ut Alexandro Constantinopolitano Episcopo hanc epistolam scriptam negem; sed ut ad alios quoque vicinos Episcopos, vel in regia urbe negotiorum causa tum versantes, ejusdem quoque exempla per circulum missa ostendam. Neque ego hic Theodoro futili Gelasii Cyziceni Diobolaris *ἰα-ἰα-ἰα* auctoritatem opposuerim, qui Alexandrum illum hoc tempore Constantinopolitanæ Ecclesiæ necdum præfuisse affirmat; quemque paulò post Nicæno Concilio privatum adhuc Presbyterum pro Metrophane extrema senectute confecto interfuisse scribit. Cujus fidem incerti quoque auctoris narratio de cccxviii. Nicænis Concilii Patribus sequitur, quæ in Historiis Sanctorum Lipomanni extat; cujus exemplar ex regio codice in Galliis aliquando me transcripsisse memini. Hæc inquam, tanti non sunt ut Theodoro aliorumque meliorum auctorum fidem apud nos elevent. Sed nunc epistolam ipsam aggredimur; in cujus limine Romanos editores *ἁποδοῖς* vox offendit, cui obolis confossæ *ἁποδοῖς* substituunt. Sed nescire me factor, quid causæ habuerint, cur vocem *ἰδὲν-κωτάτῳ* Grarissimi censu expunxerint. Vocem, inquam, probam, nec solum Polybio; ut ex Suida apparet, sed & D. Paulo semel itemque usurpatam, Rom. 8. 28. *τοῖς κατὰ ἁπόδοσιν κλητοῖς*, Vocatis secundum propositum, & Ephes. 1. vers. 11. *προορισθέντες κατὰ ἁπόδοσιν*, Prædestinati secundum propositum: Et post Paulum, doctissimo cuique Ss. Patrum. Clemens Alexandrinus item lib. 3. *ἰννοχίας ἁπόδοσιν*, propositum coelibatus, & libr. 7. *τοῖς κατὰ ἁπόδοσιν δικαίως*, prædestinatos Apostolum secutus vocavit. Iulianus Martyr xix. quaestione ad orthodoxos, palpitatio- nes, sternutamenta & tinnitus aurium *ἁπόδοσιν* fieri scribit. Omitto alios. Sane Constantinus Magnus litteris ad Alexandrum nostrum & Arium datis *μὴν ἰννοχίας ἁπόδοσιν* scripsit. Quid vero? nonne ipse Alexander mox hac ipsa pagina *τὴν μὴ χθροῦν ἁπόδο-*

σιν repetit? Quod & ipsum ne censores jugularent, saluum atque indemne prætare poterat quod pag. 16. se Episcoporum ad quos scribit *ἁπόδοσιν*, confidere ait. Videris puto, auditores, quam cautè & religiose in antiquorum scriptis versandum sit, quam non temere quidquam mutandum. Cæterum si quis Græcum hujus epistolæ exordium cum veteri Epiphaniï versione contendat, longe diverfam ejus codicem sententiam prætulisse reperiet.

Illi autem malorum hominum, quam modo dixi, *ἁπόδοσιν* respondet quod sequitur, eos diaboli impulsu veluti cæstro percitos ferri *οἱ τὴν ἁποκειμένῳ αὐτοῖς ἰδὲν*. Quo cum certum & destinatum animi consilium significetur, rectius à veteri Interprete, *Propositam animo libidinem*, quàm à Camerario, *obviam voluptatem*, aut à nostro Interprete Britanno, *voluptates quæ forte se offerunt*, converti existimo. Quis enim non videt, *τὴν τυχόντων ἰδὲν* & *τὴν ἁποκειμένῳ*, longissime inter se differre; cum illa casum, hæc consilium & voluntatis, ut dixi, propositum conjunctum habeat.

Addit hanc scribendæ causam sibi fuisse, ut merneret cæteros Orthodoxos, improbos illos cavendos esse: *μὴ τις αὐτῶν τελευτήσῃ*, inquit, *ἐν ταῖς ἡμετέροις παροικίαις ἐπιβόαις*: Ne quis vestras quoque provincias invadere audeat. Quod ut vetus & germanus Theodoriti Interpres rectè & simpliciter vertunt; ita Anglus noster sinè magno & importuno verborum ambitu, *Erroris sui vestigia Ecclesiis imprimere reddidit*. Quæ eò à me dicuntur, quod fucos & phaleras longè à casta Sanctorum Patrum oratione amandari velim: Easque, ut ipsi studiosè cavcrunt, ita nec in versionibus eorum menti exprimendæ admittendas censeo. Ita sub principio pag. seq. vetus Interpres: *τὴν σωτηρίαν ἡμεῶν ἐκνομίας ἢ δι' ἡμᾶς ταπεινῶν*: *Salvarem dispensationem & humilitatem pro nobis susceptam*, vertit, ut reliqui Latine Ecclesiæ Patres, & vulgatus Bibliorum Interpres loqui amant; ubi noster *aconomiam & abjectionem*, potius quam *humiliationem* probavit.

Sequitur deinde locus sinè insignis, quo Alexander egrègiè describit malas Arianorum artes, quibus veritatem ejusque defensores, qua aperta vi, qua fraude occulta, per cuniculos oppugnabant. Ac primum quidem Dei hostes Ecclesiæ castris ejecti, ad Gentiles & Judæos transfugere, cum his ad Christianam Religionem excindendam fœderis societate sese conjungere; apud hos gratiam laudemque sibi quærere, dum Christianorum dogmata ac sacra, quæ Judæis scandalum, Gentibus insultitia erant, risu ac ludibrio eorundem exponerent; unde religionis exitium sequi necesse erat. Ipsi deinde veritatis propugnatoribus turbas, seditiones, ac persecutiones gravissimas excitabant; scilicet ut Dei Ecclesia horum præsidio orbata, ipsis prædæ cederet. Hæc duo accusationis capita. Quorum utrumque quibus modis efficere conantur Arijani, mox ostendit. Posterius quidem, inquit, *seditiones & persecu-*

ditiones scilicet excitant, divexando CATHOLICOS, & lites iisdem intentando, per muliercularum amicitiam & prentationes: Christianismum verò traducerent, dum ipsorum juvenculæ liberè sine modo & modestia, vagabundæ per civitates oberrant: quorum utrumque est contra Apostoli doctrinam, qui priori ad Timotheum 5, 19. Viduas sexaginta annorum eligendas; adoleseciores autem sive juvenculas devitandas præcipit. Tum verò versu decimo tertio ejusdem capituli monet, ne otiose discent circuire domos, verbosa & curiose, &c. Neque enim dubium illud est, quin ex hisce Apostoli verbis totus hic locus intelligendus sit atque explicandus. In cuius sensu exprimendo Interpretes noster mirè sequutus est, divellens & confundens omnia pro libito. Unde pro una continua Alexandri sententia, meras nobis scopas dissolutas exhibet: quæ singula profecti tædiosum foret. Id miror, & veterem & novum Interpretem inverso unius Græcæ vocis spiritu, tanquam vehementiori procella abreptos, in scopulum impigisse Alexandri verba sunt, τὴν γὰρ Ἰλιρίαν τε καὶ Ἰσδαίαν ἀσθητὴν καὶ χρεῖσθαι δόξαν καλῶν ἠθῶν, τὸν παρ' αὐτῶν ἵπαινον ὡς ἐστὶ μάστιγα θανάτου. Ubi neuter perspexit, παρ' αὐτῶν le-ni spiritu legendum: Et non ipsos Arianos, sed Græcos & Judæos intelligi, apud quos Christum communi opera oppugnan-do, laudem studiosissimè captabant Ariani. Quod tamen Camerarium Theodoretum, & Langum Nicephorum Interpretem non fugit. Quamvis apud hunc non παρ' αὐτῶν, sed παρ' αὐτοῖς legatur. Ceterum ut reliquiomnes hæretici, ita Arius quoque parentis sui diaboli ingenium artesque imitatus, ficta pietatis specie sequioris sexus simplicitati illufit. Cumque Christum divinitatis gloria spoliasset, sanctissimum quoque ejus peculum invedare ac intervertere non dubitavit. Qui septingentas Virgines Christo consecratas primo omnium in suas partes pertraxit: cum interim vix septem Presbyteros, & Diaconos duodecim sibi conciliasset. Ita scilicet, ἰουδαίων καὶ σφαλερῶν καὶ ὑπερβόλων τὸ πῶς ἡνωτικῶν ἤθῶν. Sed cum Alexander hoc loco mulierum opera Ecclesiam ab Ario scribat oppugnatam, dubita-verit quis haud injuria, num seductas illas & fatuas virgines, ad aliud potius femina-rum genus vir sanctus intelligat: quas quidem ipse mulierculas impuras, si Anglo Inter-preti credimus, & tenellas meretriculas vocat, sed vereor profecto, ne ille Alexandri mentem ac verba nimis inclementer expresserit. Quas enim impuras ille vertit, γυναικῶν ἀτακτα Alexander vocè à D. Paulo mutuata appellat. Ita enim Apostolus 1. Thessal. 3, 6. monet, ut nos subtrahamus ἀπὸ πάντων ἀδελφῶν ἀτάκτως περιπα-τῶν. Ab omni fratre inordinatè ambulante. Ubi egregie Scholiastes Græcus, ἀτακτός ἐστι ὁ δὲ κατὰ τὴν ἑστῆσαν νόμον περιπατῶν. Quod equi-dem sic explicaverim, ἀτακτος sive inordinatum dici

A qui suæ vocationis ordinem legesque à DEO propositas non observat: cui impuri nomen propriè tribuendum haud puto. Mulierculas verò impuras nemo, credo, intelliget, nisi quæ voluptatum ac libidinum cæno immerse, fec-dam corporis sui copiam aliis faciunt. Illud ve-rò gravius est, quas Alexander loco superius à nobis allato, simpliciter meretriculas vocat, tenellas meretriculas verti. Quod Romani ca-ditores hoc loco interpolantes, tenellas juven-culas substituerunt: Clementius quidem illud, sed nescio tamen, an satis ad Alexandri mentem. Quam ut planius pleniusque perspiciamus, copiosius nonnihil disserendum erit de mulieribus illis, quæ gradum, aut ordinem, aut mi-nisterii officium in Ecclesia olim obtinuerunt: quarum originem ex sacris literis unâ eadēque opera deducam explicabimus. Et mihi quidem rectè ad tria genera revocari videntur. Quorum dignitate primum est Vir-ginum institutum, non heri aut hodie intro-ductum, ut hæretici nostri temporis impu-denter simul & imperitè affirmant: sed unâ cum Ecclesia natum, aut etiam Ecclesia ipsa antiquius: quippe cujus exempla aut prælu-dia in veteri quoque sædere agnoscimus. Quamvis multo splendidior ejus gloria in no-vo resulerit: Ubi Virginis filius, Ecclesie castæ Virginis sponsus, Virginitatem & doctrina & exemplo suo gloriosius consecravit: & Aposto-lus κατὰ ἰσαχίαν πολιτείας suum consilium proli-xe Corinthiis in 1. epistola cap. 7. exposuit. Virginitatem deinde sequitur viduatus, ut Tertulliani voce utar, sive ordo viduarum, quæ post primas nuptias, sive ut idem Ter-tullianus loquitur, post unum matrimonium interceptum, exinde sexui & sæculo renuntia-bant. De his quoque Apostoli præceptum ex-tat ad Timotheum priori epistola capite 5. versu 9. Vidua eligatur non minus annorum sexaginta. Quo loco Apostolus & virtutes in vidua requiritas recenset, & ætatem præterea eligen-dæ definit. Sed cui fini, cui operi, cui minist-terio eligebatur? Scholiastes Græcus, qui in aliis suecum & medullas sanctorum Patrum exhibere solet, dubius hæere videtur. Φασι τὰς δὲ εἰς τὸ χρεῖσθαι τεταγμένους ἀθῶν, Ajunt, inquit, Apo-stolum loqui de illis, quæ ad viduitatem ordina-tæ erant.

Sed quid ipse Scholiastes per τὸ χρεῖσθαι in-telligat, æque obscurum, pari que investiga-tione acquirendum videtur. D. Hieronymus epistola ad Salvinam de viduitate servanda, hunc Apostoli locum explicans, de collegio vel ut nunc loquimur, hospicio viduarum acci-pit, quæ publicis Ecclesie sumptibus aleban-tur: Illas, inquit, vult Ecclesia opibus susten-tari, quæ propriis manibus non queunt labora-re: quæ verè viduæ sunt, quas & ætas probat & vita. Sed vereor, ut Apostoli mens ad solam hanc pauperum & ætate confectarum viduarum sustentationem restringi possit. Nati minist-terio Ecclesie virtutibus & ætate probatas eli-gi præficeque solitas vel illud argumento est,

bb quod

quod viduas illas primum discere jubet Apostolus, qui propriam domum bene regant *μαθαιτωσαν πρώτον, inquit, τοις ιδίοις διακοινοῦσιν.* Similem enim publici muneris *πρόσθεται* in Episcopo paulo ante eidem Timotheo tradit: rectam scilicet private familie gubernationem. Sed quid circuitione opus est: cum & privata Sanctorum Patrum, & publica Conciliorum auctoritate *ἀναγινώσκουσιν* evincatur, viduas hic ab Apostolo intelligi mulieres illas quas à ministrandi officio Græci *διακόνισσας*, Latini etiam *ministraς*, ut ex Plinij junioris celebrata illa de Christianis epistola constat, & Diaconissis appellarunt. De quibus Apostolus disertim ante, sed paucis meminerat cap. 3. ejusdem epistolæ. Nam ubi de Diaconis probandis suscipiendisque agit, subjungit aut interjungit potius: *γυναικας ὁσας τις, &c. Mulieres similiter predicatas, γυναικας*, inquit Græcus Scholiastes, *ἢ τὸς διακόνισσας, ἀλλὰ τὰς διακόνισσας.* Non quascunque, inquit, mulieres intelligit, sed Diaconissas. Cur enim inter Clericos quarumvis de vulgo mulierum mentionem injiceret? Neque aliter D. Hieronymus in Comment. ad hunc locum; *Mulieres*, inquit, *similiter ut Diacones eligi jubet. Unde intelligitur, quod de his dicat quas adhuc hodie in Oriente Diaconissas appellant.* Apparet ergo *διακόνισσας* nomen, utriusque sexus personis Ecclesiæ ministrantibus in hoc Apostoli loco esse commune: quod in *διακόνισσας* & *διακόνισσας* postea distinctum fuit, hæc autem Diaconissas, viduarum quoque nomine à D. Paulo intelligi testatur idem Hieronymus, qui ad verba Apostoli de viduarum electione, sic notat. *Tales voluit eligi Diaconissas qua omnibus essent exemplum.* Testatur & Epiphanius in Collyridianorum hæresi, cap. 4. ubi observandum monet, *τὸ ἐκκλησιαστικὸν τάγμα*, ordinem Ecclesiasticum non ultra Diaconissas extendi; addens *χρῆμα τὸ ἀνόμαστον, καὶ τὸ ἐπὶ τὰς ἐπίσκοπικὰς ἐπισκοπείδας, ἢ ἀμὴν ἢ ἐπισκοπείδας ἢ ἡγεῖσας.* Quas, inquit, *Apostolus etiam viduas appellavit, earumque ætate proveciores ἐπισκοπείδας ἢ ἡγεῖσας* sive seniores: Non autem presbyteridas vel sacerdotissas. Quo telo Collyridianas Epiphanius jugulat, quæ suis sibi maritis conjunctæ, hoc est *ἑγγαμιοὶ καὶ διακόνοι*, offerendi munus in Ecclesiâ impiè sibi arrogabant. Cum Apostolus ultra Diaconatum, altiorem gradum fœminis in Ecclesiâ non concesserit, D eumque non conjugatis, sed viduis voluerit conferri. Quo loco Epiphanius officium Diaconissarum luculenter describit, uti etiam in expositione fidei Catholicæ, quam operi adversus hæreses subjunxit. Ubi & hoc additur, ex quo genere legi & in Ecclesiæ ministerium adoptari consueverint: *Diaconissa*, inquit, *hunc tantum in usum constituuntur, ut mulieribus decoris & honestatis causa interserviant, ubi id necessitas requirit. Sive cum Baptismi lavacro initianda, sive corpus earum inspiciendum sit. καὶ ἄλλαι δὲ γυναῖκες ἰσραηλιτικῶν εἰσιν: Suntque illæ, inquit, univira continentiam professæ, ἢ χριστιανιστῶν ἀπὸ μοναχίας, vel*

A post unas nuptias viduæ: ἢ ἀειπαρθέναι, vel perpetuæ Virgines. Ubi tria recensentur Sacramentalium genera, ex quibus Diaconissarum ordo constabat, primæ, Virgines sine matrimonio à natiuitate; Secundæ, Virgines in matrimonio ex consensu vel condicito: tertium genus viduæ continentis post primum matrimonium ex arbitrio: ut Tertullianus in exhortatione castitatis eleganter distinguit, & Tertullianum secutus D. Hieronymus in epistola ad Agoruchiam de monogamia. Verum, ut principio dixi, cum maxima hujus ordinis pars ex viduis constaret, viduæ & Diaconissæ promiscuo ferme nomine fuerunt appellatæ. Ita Basilus Magnus in epistola Canonica ad Amphilo- B chium cap. 24. *Viduam que in viduarum numerum relata est, censuit Apostolus nubentem despici.* Sed omnium clarissime Concilij Epæonenfis Canon vigesimus primus ordinem hunc in Ecclesiâ abrogans: *Viduarum, inquit, consecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus.* Quamvis jam ante Atrulionense primum sustulerat, cujus sententiam præter Epæonense, etiam Aurelianense secundum confirmavit. Quamvis ex verbis D. Hieronymi paulo ante allatis, in Latina Ecclesiâ vel nunquam receptum, vel jam exolevisse hunc ordinem appareat.

C Superest tertium mulierum Ecclesiasticarum genus, non publicum illud, sed privatum, si tamen Ecclesiasticum dici fas sit genus mulierum, quod ille de Mathematicis ait, vetitum semper in Ecclesiâ, semperque retentum. Genus inquam mulierum, ut re ipsa, ita & nomine incertum, varium ac multiplex. Contubernales illæ Clericorum, neque tecti duntaxat, sed sæpius etiam lecti sociæ. Quas quidem ipsi Agapetas sive dilectas, & sorores: ceteri *συνεσδακται* vel *ἡνεσδακται*, hoc est, subintroductas & extraneas appellabant. Hujusmodi mulieres omnis ordinis Clerici jam olim in aedes recipere, easque vel Virgines sanctimoniam professas ad mutua, ut ajebant, pietatis solatia, vel orbatas parentibus puellas, proindeque pia & pudica aliqua tutela fovendas, vel privato familiae domusque ministerio necessarias, sive ingenuas, sive ancillas. Hoc suspectum & pudendum contubernium, specioso dilectionis & germanitatis Christianæ velo obtegebant. Sed ridet vani nominis fucum Divus Hieronymus epistola ad Eustochium de Custodia Virginitatis. *Pudet dicere*, inquit, *pro nefas: tri- ste, sed verum est. Unde in Ecclesiâ Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Immo unde novum concubinarum genus? Unde mertrices univira? Eadem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur & lectulo. Et suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus.*

Ridet

Ridet & Cyprianus, vel quisquis suppar sane A
Cypriano Auctor est libri de singularitate Clerico-
rum. Et adhuc, inquit, de charitate causantur,
qui secundum verbum Esaiæ, amaritudinem pro
dulcedine decorantes, nudam fœditatem velamento
boni nominis tegunt; dum apud eos sub falsa di-
lectione vera dilectio violatur. Neque dilectas
tantum, sed & sorores appellatas constat ex Ana-
cyrani Concilii Canone XVIII. cuius hæc sunt ver-
ba: τὰς συνερχομένας παρθένους τισίν, ἢ ἀδελφάς,
ἐκωλύθημεν. Virgines sororum instar quibusdam
cohabitanes prohibemus. Testantur etiam Impera-
tores Arcadius & Honorius leg. 19. cod. de Epi-
scopis & Clericis. Eum, inquit, qui probabilem
saeculo disciplinam agit, decolorari consortio sororia
appellationis non decet. Sed frequentius est συνει-
σάτων sive subintroductarum nomen, quo An-
tiochenos Pauli Samofatenis & Cleri illius aga-
petas sive dilectas contubernales vocasse, testes
sunt Antiocheni Concilii Patres apud Euseb. lib. 7.
cap. 24, unde porro in universa Ecclesia receptum
videtur. Sed antequam ex hoc diverticulo in viam
redeam, nominis pariter ac rei originem pressius
investigare libet, cum utraque juxta in obscuro si-
ta sit. Et Balsamon quidem commentario ad 3.
Concilii Nicæni Canonem, θεῖ μὲν τοῦ τῶν συνει-
σάτων, inquit, λέγεται πολλὴ ἐξήγησις κατὰ διαφόρους
καιροὺς. De subintroductis, diversis temporibus
crebra facta est mentio, & alii quidem dixerunt
ἐπιείκτων vel συνεισάτων esse τὴν ἀπὸ τοῦ μίμου γυ-
ναϊκὸς συνεισάχθησαν ἢ συνεισάχθη τινὶ πορνικῷ, quæ
legitimæ uxoris loco introducitur & meretricio
contubernio alicui cohabitavit. Alii autem ita vo-
cari dixerunt, πάλιν γυναῖκα συνοικῆσαν τινὶ ἀνο-
μοῦν πάντως, καὶ ἀνόμοις ἔσθι, quamvis mulie-
rem alicui cohabitantem, omnino extraneam, sive
nullo sanguinis aut necessitudinis vinculo junctam,
etiam si ab omni suspitione sit immunis. Atque
hanc posteriorem sententiam uti veriore probat,
idque auctoritate epistolæ Canonice D. Basilii
Magni ad Gregorium Presbyterum, quem ille licet
septuaginta annorum senem à juvenula subintro-
ducta, intentata etiam excommunicationis pœna,
separari præcipit. Multa in utramque origina-
tionem afferri possent de ἐπιείκτως, sive intro-
ductis apud veteres concubinis. De quibus etiam
vulgatus sacrae Scripturæ Interpres qui *superintro-*
ductionis voce utitur Genes. 31. v. 50. Multa quo-
que suppetere exempla optimorum Auctorum,
quibus ἐπιείκτων, pro externo vel peregrino usur-
patum docere haud difficile foret, nisi longius jam
& extra oleas oberrassem. Sed ut meam de ἐπιεί-
κτων origine paucis explicem sententiam, ter-
tium quoque hoc mulierum sive sororum genus κα-
κοῦργια, quadam Apostolice instituti in Ecclesiam
vel potius Clericorum ædes irrepsisse puto: Cum
testante D. Paulo, 1. ad Corinth. 9. 5. moris fue-
rit plerisque, & quidem præcipuis Apostolorum,
ἀδελφῶν γυναῖκα ἀδελφῶν, sororem mulierculam
vircumducere. Quem locum uxorata hæretico-
rum ministeria propudiosis suis conjugis frustra
obtinent. Constantem adversus hosce SS. Pa-
trum sententiam, Tertulliani verbis consignatam
accipite: Non uxores demonstrat ab Apostolis cir-
cumductas, sed simpliciter mulieres qua illis eodem

instituto quo & Dominum covitantes ministra-
bant. Sic ille libro de Monogamia. Neque ali-
ter Cyprianus lib. de singul. Cleric. Ambrosius; &
Latinis Patribus ad stipulantes Græci. Chrystosto-
mus, Theodoretus & Græcus epistolarum Divi
Pauli Scholiastes nunquam pro merito satis lau-
dandus, dum ait: αἱ ἐυπογοὶ γυναῖκες πιστεύουσαι ἰκο-
λύθησαν ἐτοίς τῶν ἀποστόλων, εἰς τὰς ἀναγκαίας ἀπὸν
ῥηθείας χορηγῆσαι, ὡς αὐτὸς λοιπὸν ὄντας θεοῦ τέτυ-
ται ἀμείλικτος μόνῳ τῷ κηρύγματι διπλοῦν εἶδεν. Hoc
est: Diores mulieres fideles nonnullos Apostolos se-
quebantur, sumptus necessarios ipsis subministran-
do, ut illi hac cura à liberati, soli prædicationi atten-
derent. Sed quod ad nostrum institutum facit, ha-
betis hic religiosum comitatum; & pietatis glutine
B conjunctum contubernium; habetis mulieres non
uxores; habetis sororium piæ germanitatis titu-
lum; habetis circumducendi vocabulum Apосто-
lorum περιόδου accomodum. Cui in fixa cer-
taque Clericorum commemoratione τὸ συνεισάτων
hoc est, unâ secum introducere vel contubernalem
habere, haud malè respondet. Nam & hoc lo-
quendi modo Patres illi Antiocheni apud Euse-
bium utuntur, dum sese haud ignorare ajunt, ὅσοι
ἐσθι τὸ συνεισάτων ἐν ταῖς ἡμετέρας ἡμέραις: Quam
multis ceciderint, dum mulieres sibi contubernio
jungunt. Nec absimili ratione idem Apostolus ad
Galat. 2. παρεσάκτους ψευδοῦντες, hoc est, juxta
vulgatum Interpretem, Subintroductos falsos fra-
tres dixit. Unde haud dubiè in Latina Ecclesia
inolevit, συνεισάτως quoque & ἐπιείκτως, sub-
C introductis, sacrae Scripturæ voce appellari, quas
circumductas vel superinductas, rectius vocassent.
Sed redeo tandem unde digressus sum. Ex iis quæ
hactenus de triplici mulierum genere disserui, sa-
tis constare existimo, rebus turbandis maximè
opportunum fuisse tertium hoc genus, τὰς ἐπιεί-
κτως scilicet, quas Alexander proinde ἀτακτα
γυναῖκεία vocat, quod nullas modestiæ leges
agnoscerent, nullo pudoris freno cohiberentur.
Quin immo pestem hanc Ecclesiam potissimum
afflixisse certissimo inde colligitur argumento,
quod Nicæni ut Patres Ecclesiæ malis mederentur,
huic carcinomati primo ferme loco censue-
runt occurrendum. Unde tertio Canone seve-
rissimè omnibus in Clero quocumque tandem
gradu ac nomine degentibus, τῶν συνεισάτων
D consuetudine interdixerunt. Atque hinc lique-
re arbitror, cujusmodi mulierum prehensatio-
nes, quarum juvenularum circumcursita-
tiones immodestas Alexander hoc loco intel-
lexerit.

Proferimus nunc gradum cum eodem Alexan-
dro, qui Arianos Concilii auctoritate damnatos
circuisse vicinas Provincias & Catholicorum Epi-
scoporum animos tentasse scribit, ῥήματι τῷ εἰρημῷ
& ἰράσσει ἀξίωσιν ἱσοκρινόμενος. Quod cum In-
terpres noster vertat: Specie quidem pacis & con-
cordiæ simulata, veniam petere prae se ferre, men-
tem ejus haud quaquam me perspicere fateor, uti
nec Camerarii illud: Consilii quidem pacis & con-
cordiæ specie simulata. Quinam enim nobis per-
suadebunt, ἀξίωσιν vel veniæ petitionem, vel con-
siliium aut hoc ipso, aut quovis alio apud Græcos
Scriptores loco significare? Et si vel maxime signifi-
bb 2 caret,

caret, quinam id vel rei ipsi vel Alexandri menti convenire poterit? Epiphanius vetus Interpres, *figura pacis & unitatis dignitatem se exercere fingunt*. Sane ἀξίωσιν dignitatem significare Suidas aliquot exemplis docet; & vulgo Græcis, οἱ ἐν ἀξίωσιν, qui in dignitate sunt constituti. Sed quis dignitatis exercendæ locus erroribus istis in aliena Provincia? Ego ἀξίωσιν hoc loco, βούλησιν, illud quod petimus ac postulamus, seu finem & scopum quo tendit voluntas, quemque sibi obtinere desiderat, explicandum puto; cum verbum ἀξίωσιν petere ac postulare ut plurimum significet. Ita ut loci sensus sit, erroneos illos pacis & unionis specie animi sui mentem, quidque petant ac perendant, & ut cum vulgo loquamur, intentionem suam dissimulare; cum revera hoc moliantur, ut eos ad quos accedunt, seducant, & in partes suas pertrahant.

Inde ut leviora quædam præteream, sub finem pag. II. principio Evangelii Joannis varie Arianos premit. Qui cum omnia per Verbum facta dixerit, subjungit ipse: *Si ergo omnia per ipsum facta sunt, quomodo is qui omnibus rebus creatis essentialiam tribuit ipse aliquando non fuerit?* ἢ ὅτι πᾶς ὁ λόγος τὸ πρῶτον τοῖς γενομένοις τῆς αὐτοῦ εἶναι φύσιν διεδείχθη. Quæ quidem verba & vetus & novi Interpretes vertendo sic pervertunt: *Nulla enim ratio vult, ut quod creat, ejusdem sit cum creatis natura.* Cum ὁ λόγος handquaquam hoc in loco de ratione apodictica, sed de æterno Verbo accipi omnino debeat. Itaque vertendum: *Neque enim Verbum quod creat, ejusdem cum creatis natura*

A esse dicitur, vel statuitur, scilicet, à Joanne Evangelista cujus verba præmisit. Quod quamvis nemini non per se manifestissimum, ipsi loci ἀξίωσιν, & Græci sermonis constructio probat. Subjungit enim rationem ex Evangelii verbis petitam, cur ὁ λόγος ejusdem naturæ cum rebus creatis esse nequeat. εἴτε αὐτὸς πρῶτον ἐν ἀρχῇ, siquidem ipse, scilicet ὁ λόγος, erat in principio; reliqua autem omnia per ipsum facta sunt. Sed Interpres noster, cum præcedentibus verbis male conversis non haberet quod referrent vocem αὐτὸς, sententiam male luxavit, neque ullam in sequentibus periodis sententiam expressit. Sed interposita παραδείξει miras sibi ipsi aliisque offudit tenebras. Romani vero editores, Interpretis errorem vel fluctuationem prolata longius parenthesi non parum augentes, rationum atque argumentorum vim ac nervos plane succiderunt, quos sane & crebros & validos sanctissimus hic Episcopus in Arianos torquet. Sed cum & vos patientia, & me laterum vires destituant, cætera commodiori tempore reservabimus.

Habita Romæ in Academia Basiliana 1635, audientibus Eminentissimis Cardinalibus

J. B. PAMPHILIO.

FRANCISCO BARBERINO.

..... BRANCACCIO.

DISSERTATIO SECUNDA,
IN LOCA QUÆDAM
CONCILII NICÆNI.

QUOD Græcorum adagio fertur, Au-
ditores, *δὲ κρῆμλι θάνατος*, id mihi
in veteri & recocto argumento novum
ingenij mei & vestræ patientiæ pericu-
lum facturo ne quis ingerat, plurimum
vereor. Sedita plerique omnes naturā compa-
rati sumus, ut quandoque etiam errores nostros
amemus; & ne errasse videamur, veteri errori no-
vi erroris patrocinium paremus. Cùm sub ipsum
hujus Academiæ principium mihi disferendi
partes vestra, Eminentissimi Cardinales! autho-
ritas imposuisset, casu nescio, in consilio eam
mihi materiam delegi, quæ in sacris, si non prin-
cipem, proximum saltem à primo locum obtine-
ret, & in qua Græcæ linguæ exercitatio non
proletaria institui posse videbatur. Erant illæ
Alexandri Alexandriæ Episcopi contra Arianos
Epistolæ duæ, quæ in Romana Conciliorum ge-
neralium editione Nicænæ Synodo præmittun-
tur. Quibus pertractandis illud *ἑφθαλμοφανὲς* à
me demonstratum iri sperabam, prudentissimo
vos consilio Græcæ literas in urbem & Eccle-
siam revocare, quarum præsentissimo præsidio
nulla non sacræ eruditionis pars nititur: & frustra
sibi quemquam veram solidamque pollice-
ri doctrinam, sive in arcanis Scripturæ sensibus
erucendis, sive in cognoscendis Conciliorum
Patrumque scitis, nisi animum Græcis literis
probè excultum afferat: Cùm earum admini-
culo destitutus sublesta Interpretum fide se-
duci, & avios à vero passim exerrare neces-
sum sit. Hoc instituta tum Dissertationis argu-
mentum cùm exequi ob rerum copiam & angus-
tiam temporis non licuerit, reliqua nunc paucis
expositurus benevolentia vestræ fiducia acce-
do. Quod si dum in aliorum *ἀκρίβειαν* censu-
ram exerceo, vestri limatissimi judicij censuram
rudis hæc & impolita exercitatio meruerit:
τῆς ὑμετέρας ἀν' εἰς οὐρανὸν ἐπιπέρας, ut magni illius
Areopagitæ verbis utar, *ἐπιπεράσασθε τὸν ἀκρίβειαν
ἀφροντία, καὶ μεταδύνατε λόγον τῆς μαθεῖν διορθώσεως*.
Nunc abruptum primæ Dissertationis filum ad re-
liquam instituta censuræ partem pertendendam con-
necto.

Urget contra Arij blasphemias Alexander
Episcopus, æternam Verbi Dei ex Patre ori-
ginem autoritate Joannis Evangelistæ, qui
in ipso limine Evangelij sui, Verbum in prin-
cipio fuisse; cætera verò omnia deinde per
Verbum facta testatur. Quo loco Evangelistam
arcano & religioso quodam consilio verbum

ἔω, sive, *Erat*, adhibuisse; *ἡμίστως* autem & *ποίη-
σεως* nomine abstinuisse docet. Primò, ne is-
dem vocibus de Creatore & creatura uteretur.
Secundò, quòd Verbi æterni productionem
non solum Evangelistarum, sed & Angelorum
intellectum excedere crederet. Tertio, quòd
impium existimaret arcana illa Divinitatis my-
steria, curiosâ peruestigatione subtilius scru-
tari. In cujus loci sensu exprimendo non semel
offenderunt Interpretes: quandoquidem Græ-
ca verba vitio non carent. Illud tantum indi-
cavero, ubi ait: *τὸ ὑπὸ περιφρασίᾳ τῆς τῶν ἡμίστων
διαφορίας*, vocem illam, *Erat*, universam creatur-
rarum intelligentiam transcendere, haud du-
biè *ἡμίστων* non *ἡμίστων* legendum: quorum hoc
ἔω τῶν ἡμίστων, illud *ἔω τῶν γενέσθαι* deducitur.
Quas quidem voces, licet origine & signifi-
catu affines, sacri & profani Authores cautè
distinguit: cùm tamen in vulgatis Justini M.
Eusebij, Epiphaniij, aliorumque editionibus,
sexcentis locis confusas observare liceat. *ἡμι-
σις* enim & *γενετός*, ut Proclus libro 2. in Ti-
mæum ait: *τὸ ἀπὸ τῶν ἀμεινῶν ἑφθάλμω* significat
hoc est, creationem & productionem ex nihi-
lo. Unde, ut Justinus Martyr ait in responsio-
nibus ad Græcos: *τὸ γενέσθαι καὶ τὸ ποιέσθαι λέξασ-
ται ἐν ταύτοις, ἕρως δὲ ταύτων*. Verbo differt, re
ipsa idem est. *ἡμίσσις* autem *συνεχὴ ἀπὸ τῶν πα-
τρῶν*. Hoc est, generatio sive, ut cum vulgo Theo-
logorum loquar, productio viventis à vivente, si-
milis producenti in substantia & natura. Et
γενετός, ut apud eundem Justinum habetur, *τὸ γενε-
τώσ γενόμενον*, sive *τὸ γενετώσ τὸ εἶναι ἔχον*, quod
per modum generationis subsistit. Unde Cle-
mens Alexandrinus, cùm *γενέσις* nomen promi-
scuè accipi videret etiam pro generatione, quarto
Stromatum libro ita eam distinguit, ut alia sit *τῶν
γενεμάτων*, alia *τῶν γενεμάτων*. Scilicet, ne quis
τὸ γενετόν & *γενετόν* confunderet. Unde & Pla-
to principio Timæi disquirendum proponit: *περὶ
τῆς παύσεως, εἰ γέγονεν ἢ ἀγένετο ἴσθιν*. Factumne sit
universum, an non factum. Hoc est, ut Proclus
explicat, *εἰ γενετός ἢ ἀγένετος ὁ κόσμος*. Atque ita
antiquissimus ille Italiae Philosophus Ocellus
Lucanus insigni operâ probare instituit, *τὸ πᾶν
ἀνάληθρον εἶναι καὶ ἀγένετον*, mundum ortu interi-
tueque carere. Quod enim vulgò *ἀγένετον*
passim apud Ocellum scribitur, id contra opti-
mos Vaticanos codices esse deprehendi: cum
quibus aureum illud opusculum diligenter ali-
quando contuli. Rectè igitur universum hoc,



& quicquid rerum creatarum universo continetur, ratione primæ productionis γεννητὸν appellabimus: γεννητὸν verò haud quaquam: quod uni Verbo Aeterno convenit, cui soli Pater Aeternus dixit: υἱὸς μου εἰ σὺ, ἔγωγε σήμερον γενήσεται σοι; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cætera autem omnia, *δι' αὐτῆς ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτῆς ἐγένετο ἕδρ' ἐν, ὃ γέγονεν.* Unde & Pflates rēgius: *αὐτὸς ἄπειρ καὶ ἐκ γένεσας; Ipse dixit. & facta sunt.* Contrà Mundus rectè ἀγέννητος, non autem ἀγέννητος. Filius autem Dei ἀγέννητος, non ἀγέννητος. Quæ fortassis levia videri possent, nisi unius litteræ interstitio rectus Catholica veritatis trames à gravissimorum errorum præcipitiis dispiceretur. Unde Joannem Damascenum libro 1. cap. 9. magno hæc studio annotasse videmus: & Epiphanius hæresi 69. Arianos hæc nomina contudentes gravissimè perstrinxit. Quàm bene autem Interpres Anglus, τὰ γινητὰ, *Mortalium* nomine explicet, mox commodiori loco videbimus. Ineptum quoque, quod idem noster Interpres Verbum Aeternum, causam efficientem rerum omnium: τὸ πρῶτον, *gignens* appellat; cum omnis Ariantum astutia in hujusmodi verborum confusione versetur, quæ sanctissimus hic Auctor contrà diligentissimè distinguit. Tutius sanè cum vulgato Bibliorum Interprete, *faciendi & factoris* vocabulo uteretur, novis illis verborum lauticiis relictis, quæ animo sacris litteris innutrito naufragam commovent. Ita in orationis progressu, ubi Alexander filios per gratiam adoptatos, à Verbo Aeterno, vero & proprio Deo Filio quàm longissimè removel; quoniam hic natura Dei Filius; illi verò, deposito spiritu servitutis, τὸ τῆς υἱοθεσίας λαβόντες πνεῦμα. Hoc est, ut noster Interpres reddidit: *Spiritu adoptionis filiorum assumpto*, filij adoptivi evaduat. Quid ni potius cum divo Paulo ad Rom. 8. v. 15. Spiritu adoptionis accepto: vel, Spiritum adoptionis filiorum accipientes, dixerim? Cum accipere, gratiam donumque Dei præsupponat; sumere autem, sive assumere, propriam quodammodo auctoritatem subindicare videatur. Quod enim Apostolus ait ad Hebr. 5. v. 4. οὐχ' ἑαυτῶν τις λαμβάνει τιμὴν: *Non sibi ipsi quisquam sumit honorem, sed qui vocatur à Deo.* Ita nec gratiam Spiritus Sancti quisquam sibi ipsi sumit, nisi cui data fuerit desuper à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Cui & illud addiderim, quod sub fine pag. 14. Arijae classis πονηροῦ ῥηθῶν σύνοδον, *improborum turbam* potius quàm *Concilium malignantium*, scripturæ verbis reddere maluit

Sed longum foret singula persequi, quoties Interpres Authoris mentem vel divellat, vel invertat, vel pro claris & manifestis dubia & obscura nobis supponat. Proprio ad locum totius Epistolæ, meo quidem iudicio difficillimum, qui principio pag. 15. Romanæ editionis legitur. In quo cum Cimmericas mihi tenebras offusas cernerem, lucem ab aliorum illustri ingenio & conspicuâ doctrinâ petendam ratus, problematis loco illum priori Dissertationi subjunxit. Et vos quidem, Auditores, meminisse existimo, quàm facundam & recon-

ditæ Thologiae plenam de sacrosanctæ Trinitatis mysterio orationem tum instituerit magnum illud, quod veneror, doctrinæ ac scientiarum miraculum simul & oraculum. Meministis, inquam, ut ille vere ἀπὸ τοῦ ἐνφύλλου, in ipsam divinæ caliginis nubem sese penetraverit. Mihi verò cum caligantis ingenii oculos ad tantam lucem erigere, & debile alarum remigium tam alte explicare non liceat, tutiori consilio terras legam & littora: hoc est, pressius & pensiculata cura, Græci contextus verba mentemque rimabor; & quid de hoc loco constituendum videatur, paucis planissime proferam. Ariani, inquit Alexander, ut Christum Deitatis gloria spoliarent, eas voces, eaque Scripturæ loca semper in ore habebant; quæ ad passionem & exinanitionem ejus pertinent, penitus oblitii istorum, quæ ad gloriam & majestatem & æqualitatem cum Patre significandam faciunt. De quorum numero est illud Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Cujus loci sententiam Catholicam adversus Arium explicaturus Alexander, hæc ἐπιθήσειν subjungit. Quod quidem Dominus dicit, non Patrem seipsum pronuntians; ἡδὲ τὰς τῆς υἱοθεσίας δύο φύσεις μιανέναι σαφελίζων. Hoc est, ut Interpres ad verbum reddit: *Neque duas secundum hypostasin naturas unam esse declarans*: sed quod Filius, inquit, perfecte paternam similitudinem servat. Quæstioni à me fuit, quis sensus illorum verborum: ἡδὲ τὰς τῆς υἱοθεσίας δύο φύσεις μιανέναι σαφελίζων. *Neque duas secundum hypostasin naturas unam esse declarans.* Cum enim hic nequaquam de Incarnationis, sine οἰοσιμίας mysterio, & hypostatica Verbi carnisque unionem agatur; sed ad sanctissimæ Trinitatis mysterium, sive ad Θεολογίας locum pertineat, manifeste duas diversas & distinctas Patris & Filii naturas ponere videtur: quod impium Arii dogma erat, cui refellendo tota hæc Epistola opposita est. Quid igitur? num forte ἀλλοι ἰσχυροὶ αὐτοὺς ἔλακει βρωί; sed absit, ut sanctissimum virum hujusmodi labe aspergere quisquam conetur. Mihi vero loci hujus sententiam animo versanti duæ occurrerant rationes, quibus si non explicari, saltem excusari posse videbatur. Videlicet Authorem, ut Ariatorum sententiam refellat, ipsorum sibi voces ac formulas mutari. Vel, si suo sensu, suisque verbis locutum velimus, φύσει, sive naturam pro υἱοθεσίᾳ accepisse: quod forte antiquissimorum Authorum exemplis non caret. Sed dum pressius singula expendo, neutrum mihi loci sensus admittere videtur. Primum enim, suis non Ariatorum verbis cum loqui manifestissimum est. Deinde utenque exempla quis proferat φύσει, sive naturæ vocem pro υἱοθεσίᾳ aliquando acceptam, nihil tamen hæc destina sententiam fulcit: cum ipse φύσει nomen passim usitato Ecclesiæ sensu usurpet: idque mordicus contra Arium tueatur, unam esse eandemque Patris ac Filii naturam, & Verbum φύσει Filium Patris esse. Sicuti è contra contendit Filium non esse τῆς αὐτῆς φύσεως τοῦτε γινωσκόμεναι. Quare superest, ut verba Græca, uti nunc quidem vulgo

leguntur, vel hæreticorum malitiâ, vel insci-
 tiâ Librariorum corrupta dicamus. Quod fa-
 cile concedet, quisquis vestrum non ignorat,
 Auditores, quantum calamitatis & errorum
 utraque pestis sanctorum Patrum scriptis intul-
 erit: quæ gressu nimis libero per Orientem
 aliquando grassabatur, cum dissecâ in hære-
 ses & partium studia Ecclesiâ, malis hujusmo-
 di artibus, sive quisque causæ patrocinium
 quareret. Huic autem loco vitium factum an-
 tiquis historiæ Ecclesiasticæ Interpres Epipha-
 nius Scholasticus liquidò ostendit: quem Græ-
 ca verba non quidem mutata, sed transposito
 articulo, hoc modo olim legisse apparet: *ὅτι
 τὴν ἁποστασίαν δύο φύσεις τῆς αὐτῆς ἰσῆς σαφηνίζου-
 ραυ* **B** *um vertit. Neque substantialiter duas naturas,
 quæ est una, declarans. Quem verum & Catholi-
 cum hujus loci sensum esse facile perspicies,
 quisquis hoc modo rem mecum consideraverit,
 Catholicæ Ecclesiæ fides, quæ unum Deum in
 Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneratur,
 inter oppositos errorum scopulos, & multipli-
 ces mendaciorum ambages regis via instar,
 medio loco incedit, devitans hinc inde immi-
 nentia hæresium monstra, quæ insano clamore
 veritatem allatrant: ut neque personas cum Sa-
 bellio confundat, neque cum Ario substantiam
 separet. Hanc Catholicæ veritatis cynosuram
 Alexandrum quoque hoc loco sequutum const-
 tat, qui propositis Christi verbis, duos hinc **C**
 inde adulterinos sensus removens, tertium
 deinde verum & genuinum subjungit. *Ego, in-
 quit, & Pater unum sumus*, non ut se Patrem
 esse affirmaret, quo personarum confusionem,
 & Sabellij *ἰσοσώτητα* tollit. Neque ut substantia-
 liter duas naturas, quæ est una, declararet:
 Hoc est, non ut unam ac simplicissimam Pat-
 ris Filiique naturam in duas divideret: quo
 substantiæ separationem ab Ario introductam
 removeret. Tandem sublati hinc inde errorum
 extremis, Catholicam ejus loci mentem sub-
 jicit; videlicet, Filium naturâ Patri per omnia
 similem, & invariata Patris imaginem esse:
 quo ille & unam eandemque Patris & Filii
 naturam, & distinctas prototypi & imaginis
 hypostasies conficitur. Sed hinc mihi aurem quis
 vellicet, & quid *ὅτι τὴν ἁποστασίαν δύο φύσεις* sibi velint, **D**
 haud immeritò querat: cum apud ceteros Ec-
 clesiæ Patres haud facile hujusmodi loquendi
 modum sit reperire. Sed non uno hujus Epi-
 stolæ loco ostendi potest, *ἁποστασίαν* vocabulum
 non tam individuum seu distinctum person-
 alibus proprietatibus subjectum, vel persona-
 lem substantiam Authori nostro significare,
 quam modum subsistendi, quem Justinus Mar-
 tyr, alique Græci Theologi τὸν τρόπον τῆς ὑπαρ-
 χῆς, vel etiam simpliciter, *τῆς ὑπαρχῆς* appel-
 lant. Ita pag. 11. Joannem Evangelistam dicen-
 tem: *In principio erat Verbum, & omnia per ipsum
 facta sunt: τὸ ἰδιόειπνον ἁποστασίαν*, proprium
 ejus substantiæ modum, sive ut Epiphanius
 vertit, propriam ejus substantiam designasse
 ait: ipsum scilicet Verbum, per quod facta
 sunt omnia, fuisse ante omnia & esse sive
 subsistere diversum quid à ceteris omnibus:*

quam ille signanter, *ἰδιόειπνον ἁποστασίαν* vocat.
 Quibus paulò post subjungit, mundum ex nihi-
 lo productum, *ἐκ τῆς ἀποστασίας ἡ ἀρχὴ
 πατρὸς ἦν ἰσῆς*, Recentiore habuisse generationem,
 sive, ut Epiphanius ad verbum reddit, *Novellam
 habere substantiam recentemque nativitatem*. Ubi
 nihil aliud *ἁποστασίαν* voce intelligi potest, quam
 ipsa *ὑπαρχῆς* & existentiâ. Unde quam modò
τῆς ἁποστασίας ἦν ἰσῆς, productionem ad existen-
 dum dixit, mox æquipollenti vocabulo *ἰσῆς*
 appellat. Et paucis interjectis Filij unigeniti
ἀνεκδιήκτων ἁποστασίαν vocat: de qua Spiritus San-
 ctus prophetico oraculo dixerat: *τὸ ἦν ἰσῆς
 τῆς διουθενίας*, Generationem eius quis enarrabit?
Ubi *ἁποστασίαν* & *ἦν ἰσῆς* promiscuè pro uno co-
 demque poni quis non videt! Quæ licet in divinis
 sint inseparabilia, in cæteris tamen *ἡσυχαστικῶς*
 via ad *ἁποστασίαν* esse videtur. Verum & illud ex
 locis hæcenus à me productis vos perspexisse
 arbitror, Epiphanium veterem Interpretem,
 ubique *ἁποστασίαν* vocem, non subsistentiam ex
 recepta sanctorum Patrum & Scholæ consue-
 tudine, sed substantiam cum vulgato Biblio-
 rum Interprete reddidisse. Unde & hoc loco,
*τὰς τῆς ἁποστασίας δύο φύσεις, substantialiter duas na-
 turas* vertit: Hoc est, quarum utraque diversam
 substantiam, sive subsistendi modum habeat.
 Atque hæc quidem ad difficilem, & verè Gor-
 dium hujus Epistolæ nodum, vel solvendum, vel
 scindendum attuli. Quæ ego doctiorum judicio
 lubens submitto. De quo loco si quis certiora me
 docuerit, ne ille magnam sibi gratiæ mercedem
 apud me promeruerit.
 Ex prædicto Divi Joannis loco probaturus
 Alexander Filium Dei per omnia exprimere
 & referre Patris naturam, ejusque *ἀπαράλλακτον*,
 sive invariata imaginem exhibere, ipsius
 Christi Domini verbis ex eodem Evangelista
 id confirmat, *Qui videt me, videt & Patrem*,
 & subjungit: *ὡσπερ δὲ ἰσῆς ἐν ἀκρίβει ἡμῶν ἰμῶ-
 χῶ, θεὸς ἰσῆς αὐτῆς διακρίθῃς τῷ πατρὶ. Quan-
 do quidem Pater per ipsum, velut per speculum pu-
 rissimum idemque animatum, in quo Dei exprimi-
 tur & elucet imago, manifestè cernitur: ita magno
 verborum apparatu Interpres noster Anglus.
 Vel ut Epiphanius ad verbum: *Tanquam per
 speculum sine macula, & animatum, per divi-
 nam ejus imaginem contempleretur Patrem*. A-
 quibus nec Cameronius Theodoretî Inter-
 pres recedit: *Tanquam per ipsum, velut im-
 maculatum & animale speculum, divinæ ima-
 ginis Pater conspiceretur*. Hæc Interpretes. Quo-
 rum neminem Authoris mentem penetrasse
 præfidenter, sed verè affirmaverim: cum trans-
 posita distinctio Glaucoma ipsis offuderit. Sed
 cum ex levi erroris occasione elegans differen-
 di materies se offerat, illud principio monue-
 rim, quemadmodum nobilissimam Corinthi
 æris mixturam, ex auri aliorumque metallo-
 rum colligatione enatam Veteres prædiderit:
 ita ex variis divinatorum eloquiorum conflatis
 inter se & contestellatis locis, tanquam ex auro
 probato septies, pulcherrimum illum & verè
 aureum sanctorum Patrum loquendi characte-
 rem existere, Quem quæ in rerum sacrarum
 tracta-*

tractatione negligunt, illi plerumque persua-
 sibilibus humana sapientie verbis turgidi,
 ostensione autem spiritus & virtutis destituti,
 Æs sonans, ut Apostoli verbis utar, & cymba-
 lum timidus evadunt. Mihi autem inter cæ-
 tera sanctorum Patrum monumenta, quæ nunc
 ad manum sunt Alexandri Epistolæ pulcherri-
 mam vermiculati vel Mustivi operis speciem
 referre videntur. Ita perpetuis sacre Scripturæ
 emblematis interlinctis relucet. Quod præ
 cæteris, vel unus hic locus luculenter ostendit.
 Cum enim Sapientie cap. 7. inter alia innume-
 ra elogia, Sapientia divinâ vocetur ἀναγνώσιμα
 φωτός αἰθέρα, καὶ ἰσοπέδιον ἀπὸ τοῦ τῆς τοῦ θεοῦ ἐπι-
 γείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ: hoc est:
 Candor lucis æternæ, & Speculum sine macula
 Dei majestatis, & Imago bonitatis illius: Quis B
 non videt divi Pauli exemplo locum hunc in-
 de vivis coloribus adumbratum? Cujus ego
 ductu & auspiciis, duo illa epitheta speculi
 ἀναγνώσιμα καὶ ἰσοπέδιον, malè ab Interpretibus
 conjuncta distinctione interpositâ diviserim: &
 posterius ad divinam imaginem retulerim:
 ἀναγνώσιμα ἰσοπέδιον ἀναγνώσιμα, καὶ ἰσοπέδιον θεοῦ
 εἰκὼν αὐτοῦ θεογονίαν τῆς πατρὸς. Quoniam per
 ipsum tanquam per speculum sine macula, & ve-
 ram, sive animatam divinam imaginem ipse etiam
 Pater conficitur. Etenim cum Apostolus ad Co-
 lossa. ver. 15. Filium εἰκὼνα τοῦ ἀόρατου, imaginem
 Dei invisibilis appellasset, & Arius improbè ad
 stabiliendum errorem suum eo loco abuteretur,
 eleganti sane adjuncto nosse Author ἐμφυχος,
 sive animatam imaginem eundem appellat, ut
 similitudinem perfectissimam inter Patrem Fi-
 liumque significantissimâ voce contra hæreti-
 corum officias tueatur, & ζωὸν λόγον τοῦ θεοῦ
 πατρὸς prodisse doceat. Cum enim duplex
 sit imago, ut Scholasticorum Antesignanus parte
 1. q. 35. & jam olim Epiphanius in Anomæo-
 rum heresi cap. 3. docuit: Altera in re ejusdem
 nature, ut imago Regis in Filio: altera in re
 diversæ nature expressâ: qualis est imago Prin-
 cipis in nummo, vel tabula, aut statua. Sive, ut
 Epiphanius verbis utar: altera, οὐκ ἔστι ζωοποι-
 ῶσα: altera δὲ ζωοποιῶσα, vel
 ζωοποιῶσα expressâ, Arius, ejusque secta-
 tores Filium Patris imaginem posteriori mo-
 do intellexere, ut diversæ à Patre nature
 eum esse evincerent. Quin imò hoc ipso Fi-
 lium minorem Patre ostendere conati sunt, D
 quia Patris imago vocatur. Ita Marcellus apud
 Eusebium libro 1. ex Asterii mente affirmat:
 τοσοῦτον τὸν θεὸν τὰ λόγια εἶπε, ὅσον καὶ ἄνθρω-
 πος τῆς ἐκείνου εἰκόνος. Hoc est: De-
 us in tantum à Verbo suo differre videtur, in quan-
 tum homo ab imagine sua. Idem Marcellus Ca-
 tholicam Asterii assertionem exagitant, qua Ver-
 bum invariata Patris imaginem affirma-
 verat, multis debacchatur, quæ & apud
 Eusebium & Epiphanium heresi 72. ex Acacio
 habentur. Sed fanatici hominis deliria casti-
 gans Acacius: Tu, inquit, Dei imaginem
 ἀΐψια προσώπου, sive, vita ipsa privans, neque
 Dominum, neque Deum esse concedis; sed im-

mobilem duntaxat imaginem, ἰσὺν ἀΐψιον καὶ
 ἀΐψιον, ut anima vitaque destitutam: viventis
 autem viventem Dei imaginem esse negas.
 Idem quoque Epiphanius her. 76. contra Æ-
 tium Anomæorum principem, Filium ex Pa-
 tre natum contendit, ut Deum de Deo, lu-
 men de lumine, æqualem per omnia & con-
 substantialem Patri; cujus, inquit, imago est
 ἡ ἀΐψιος, ἀλλὰ πάλιν χαρακτηρίζεται ὡς: Non ex-
 pers anima, sed paternum genus exprimens. Hæc
 Epiphanius. Neque dissentit Eusebius, qui
 cum libro 2. Theologie Ecclæs. varia promul-
 set loca, quæ Patris divinitatem gloriamque
 prædicant, addit deinde, horum omnium Uni-
 genitum Dei Filium imaginem cogitandum
 esse: ὡς ἀΐψιον ὄν, ἀλλ' ὡς ἐν ἑαυτῷ μιμητοῦ
 μὲν ὄν: Non tanquam in materia inanimi, sed ut
 in Filio vivente expressam. Quibus verbis egre-
 giè duplex illa imaginis ratio ex Epiphanius
 & D. Thoma à nobis proposita explicatur: qua-
 rum altera ἀΐψιος, ex Acacii & Eusebii verbis;
 altera ζωὸν καὶ ἐμφυχον, ex correcto à nobis Ale-
 xandri loco vocari poterit; Quin etiam ex ipso
 Eusebio libro 1. contra Marcellum Ancyra-
 num, ubi commemoratis ejus delictis quo-
 rum modò meminimus, hominem valde ex-
 cutire ait; nec considerare: ὡς καὶ ὁ θεὸς δούλων
 ἐμφυχὸς ποτε ἴκται ἰδίῃ πατρὸς κληθῆναι: Possè et-
 iam Filium vivam Patris imaginem dici, cum sit
 Patri quædam simillimus. Quam ille sententiam mul-
 to copiosius explicat lib. 5. Evang. Demonstr. ca-
 pite 4. ubi docet, sicuti Regis imaginem pro-
 pter ipsum Regem veneramus; ita etiam Fi-
 lium unigenitum unicam Dei Patris invisibi-
 lis imaginem, Deitatis honore prosequendum:
 utpote, qui naturâ Deus est de Deo, καὶ ὁ θεὸς
 σὺν τῷ μόνῳ θεῷ τῷ ἐμφυχῷ καὶ ἰσογενεῖ ἰσο-
 γένῃ πάντα τὰ πατρὶ παρομοιωμένῳ: Et per
 omnia Dei Patris animatam & vivam, & intelli-
 gentem imaginem, Patrique in omnibus simillimam
 conservat. Videtis, ni fallor, Auditores, quàm
 bene Alexander Filium Dei ἐμφυχον θεῖον εἰκὼνα
 appellet, & quàm ea vox nihil humile & indi-
 gnum Deo tribuat; sed summam, & ad vivum
 expressam naturæ gloriæque paternæ similitudi-
 nem nobis designet.
 Eam portò vocem ex medio Græciæ usu de-
 sumptam, nescio cujus veteris Authoris sen-
 tentia apud Stobæum testatur: Cui Rex ἐμ-
 χος εἰκὼν θεῖος dicitur. Ita Longinus notissimo illo
 elogio Eunapii: βεβαιοθῆναι ἐμφυχος καὶ περπα-
 τῆν μασιόν. Et Marcellus Arcadii Imperatoris Ma-
 gister, Suida Lexicographo, minus fortè no-
 to, sed non minus eleganti encomio: ἡ ἀΐψιος
 ἀΐψιος ἀΐψιος, ἢ τὸ γὰρ ἀρμονικώτερον ἰσογενεῖ τῆς
 ἐμφυχῆς. Omnis virtutis ornamentum, vel potius
 vivæ & animatæ quædam virtus. Græcas hæc
 sermonis laudatias feliciter expresserunt Latini.
 Quid enim Spirantia signa, & spirantia mollis
 ara, & vivi de marmore vultus, Maronis. Quid
 Propertii, Fivida & animosa signa. Quid Am-
 miani spirantia signorum signa, nisi ἐμφυχου
 Sed portum de proximo prospicio, quem sub-
 ibo, si ex variis quæ sub finem hujus Epi-
 stolæ Interpretes peccat, unum adhuc addidero,
 Alexan-

Alexander ut hæreticorum curiositatem freno injecto compefcatur *ὑπόστασις* filii, sive existendi modum ut dixi, *πάση τῇ γεννητῇ φύσει* impervestigabilem asserit; neque *πῶ τῶν λογικῶν φύσει* comprehendere posse, quomodo Pater genuit Verbum. In utroque hallucinatur novus noster Interpres. Primum quidem quod *πῶ γεννητῆ φύσει*, de qua superius egi, naturam mortalem reddidit. Neque enim tam angustis limitibus creata natura circumferenda, cum & Angeli sint *γεννητοὶ* sive creati, quos tamen mortales cum saniori Theologorum parte haud quaquam appellaverim. Neque melius in secundo membro *ἢ τῶν λογικῶν φύσει*, natura humanationisque participes explicatur. Nisi quis *ἐν δια δυνῶν* Interpretem reddidisse existimet. Sanè ad naturam *τῶν λογικῶν* etiam Angelos, & quidem præcipuo jure pertinere quis dubitet? Quibus tamen æque ac hominibus, divinx generationis arcanum ignotum & ineffabile esse, testatur etiam ipse Alexander superius pag. 12. *Unigeniti subsistentia*, inquit, *non solum Evangelistarum solertiam, sed fortassis etiam Angelorum intellectum superat.* Sed quod noster in dubio relinquere videtur, id cæteri Patres disertim & constanter affirmant. Et nunc quidem ex Græcis unus mihi Eusebius testimonio dicendo adsit. Is lib. 1. Theol. Eccl. cap. 12. Unigeniti generationem non nobis solum impervestigabilem affirmat, *ἀλλὰ ἔ, πάσαις ταῖς κρείττοσιν ἢ καθ' ἡμᾶς δυνάμεσι*; Sed etiam

cunctis superioribus virtutibus. Accedat ex Latinis Ambrosius, lib. 1. de fide cap. 5. *Mihi impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non meatantum, sed & Angelorum.*

Qui locus & me opportune silentii admonet, ut decurso dissertationis stadio lampada aliis tradam.

PROBLEMATIS loco, sequenti congressu examinandum propono locum M. Aurelii Antonini Imp. & Philosophi. Is 3. Commate libri 11. de propria vita rectè instituenda, contemptum rerum omnium facilem esse ait, animo semper prompto & parato ad discedendum è corpore, modo promptitudo ista proficiscatur à certo judicio: *μη εἴ, φιλιῶ παρὰ τῆς ἀρετῆς, ἀεὶ ἐν ἡμετέροις.* Quibus verbis cum *φιλοσοφῶνται* Imperator SS. Martyrum in morte pro Christo oppetenda alacritatem & constantiam perstringat, velim enuclearius disquiri quid verba ista *κατὰ φιλιῶ παρὰ τῆς ἀρετῆς* sibi velint.

Habita Romæ in Academia Basiliana, anno 1636. audientibus Eminentissimis Cardinalibus.

FRANCISCO BARBERINO.

&..... BRANCACCIO.

DISSERTATIO TERTIA,
DE SYNESIO
ET DE FUGA
EPISCOPATVS.

SI ex divini Platonis effato, Eminentissimi A Cardinalis, omnis oratio rebus ipsis de quibus instituitur cognitione quadam atque affinitate respondere debet; accuratissima sanè atque omnibus ingenij artisque luminibus picta hodierno die mihi afferenda esset; quæ sublimi quadam gravitate nativas illas Platonis gratias atque omnes Poëtarum veneres conjungeret: Cum de Synesio, Philosophorum omnium, uno Platone excepto, eloquentissimo apud vos disserere ex hoc loco statuerim. Quo in munere cum non tam meæ voluntati, quam necessitati temporis atque aliorum imperio obtemperandum fuerit, supplebit vestra humanitas, quidquid ex temporali dissertationi aut ingenij mei imbecillitas, aut perplexa obscurioris argumenti difficultas negarit. Quin potius ipsum hujus loci institutum veniam mihi apud vos impetrabit, quod B non tam copiosam & ad ostentationem Academicam compositam orationem, quam planum ac familiare disserendi genus requirit: præsertim ubi res perspectu difficilior, ab ultima antiquitatis memoria in lucem usumque revocantur.

Neque enim mihi animus est, eloquentissimi juxta ac sapientissimi Philosophi laudes per texere, aut orationis accuratissimæ virtutes persequi, aut reconditam philosophandi rationem in lucem protrahere. Sed unum duntaxat ex epistola cv. locum nodo sane difficili impeditum expendendum, & si tantum sperare liceat, expediendum proponam: Ubi ille causas exponit, cur Episcopatum Ptolemæidis, ad quem civitatis C istius votis postulabatur, nequaquam sibi subeundum existimet. Hunc ego locum dum discutere instituo, illud summopere à vobis contendo, ut cum summorum hominum sententia mihi convellenda sit, æquum animum & solitam benevolentiam ad me audiendum, & ad totam hanc controversiam dijudicandam afferatis. Ita ad cætera ejusdem argumenti persequenda fiduciam ad detis.

Nunc ut futuræ Dissertationi viam aperiam, facemque præluceam, cujus ductum deinde se-

quamur, operæ pretium erit ipsam Synesij epistolam accuratius expendere, de qua tota hæc nobis suscepta est Disceptatio. Ubi primum se à Ptolemæidensibus ad Episcopale munus postulatum intellexit, rei novitate percussus, prolixè Eupotio fratri suo scribit, causasque aperit ob quas oblatum Episcopi munus nequaquam sibi recipiendum judicet. Et principio quidem civitatis popularique erga se studium affectumque prædicat, qui propemodum divinum honorem indigno sibi conferre voluerant, eo quod Philosophi munus aliqua cum laude hæctenus eum sustinuisse perspexisset. Sed dum ipse & oneris oblatis magnitudinem & suas vires humerosque expendit, multas ob causas id sibi declinandum existimat. Primo, quod cum vita omnis in serâ & ludicra ipsi divisa esset, serâ quidem, & præsertim rerum divinarum studia, privato & secreto quodam in otio tractaret; ludicra autem, utpote natura φιλοπαιγμων, publice atque in omnium conspectu. Cum Episcopale munus congraria omnia postulet: scilicet, ut rerum divinarum studia in propatulo tractentur, ludicra autem omittantur penitus, utpote homine sacris addicto plane indigna: quippe qui Dei imaginem vicemque gerit. Hæc primâ quali prælusio. Accedit secundo natura μετρητικῆς, & ingenium ab omni non tantum civilium, sed & privatarum rerum cura planè abhorrens: cum Episcopo uni omnium curæ & sollicitudines sustinenda. Addit deinde, factum illud munus penitus à philosophiæ studio & rerum consideratione abhorrere. Hæc enim per quietam contemplationem animum à corporis consortio abducere, & ab affectibus corporeis expurgare, & secundum solam mentem operari studet. Cura autem Episcopalis, non solum contemplationis munus impedit, sed animum curis negotiisque immergit, adeoque divinæ auræ particulam obruit, & quasi extinguit. Quarto loco naturâ se ad peccandum proclivem, & conscientiam non satis firmâ esse dicit: cum Episcopum ab omni macula & peccato purum liberumque esse oporteat, quippe qui alios

à peccatorum fordibus expurgandi munus incumbit. Subjungit deinde causam fonticam, conjugij & rei uxoriae, quod conjugem ritè & liberorum quarendorum causâ ductam, nec deferere publicè, neque clanculum cum ea confuere vellet.

Sed omnium tandem gravissimam causam hanc adfert, quod ipse Platonicae Philosophiae praeceptis imbutus, à praeceptis aliquot fidei Christianae capitibus dissentiret; easque opiniones ita animo fixas esse ait, ut licet dissimulare pacis & concordiae causâ, dimittere tamen, aut mutare easdem nollet. Dogmata autem praeceptivè tria proponit. Primum, animam praexistere, neque corpori jam formato immitti. Alterum, de mundi aeternitate, quem ut interitum aliquando crederet, nequitiam adduci poterat. Tertium, de mortuorum resurrectione, quam mysticum & arcanum aliquem sensum recondere, nec cum vulgo accipiendam esse asserit.

Hæc rationum summa, in qua nihil se simulare, nihil fingere, Deum hominesque testatur. Hæc fratri, hæc amicis, hæc Theophilo Alexandriae Patriarchæ, qui electionem ratam habuerat, nota esse asserit. Ideoque Ecclesiasticae historiae Scriptores Evagrius & Nicephorus, ceterique antiquorum qui de Synesio mentionem fecere, hujus Epistolæ verbis persuasi, Synesium semipaganum ad Episcopi munus accessisse affirmant. Cumque ceteræ virtutes, quæ hominem omnibus numeris absolutum reddere possent, in eo clucerent, *κατ' ἐξουσίαν* ab Ecclesia ordinatum fuisse scribunt; eâ ipse, fore ut ad tantum virtutum cumulum, verè quoque Religionis vertex & colophon accederet: neque eam spem eos fessellisse. Hæc, inquam, veterum omnium, hæc recentium sententia. A qua magnus ille & incomparabilis Ecclesiasticorum Annalium parens sibi discedendum putavit, quia ad annum Christi quadringentesimum decimum, maximo errore eos labi pronuntiat, qui serio ista à Synesio inculcata fuisse putant: Sed arte hæc ad declinandum Episcopi munus ab eo producta, ut portentosis contestationibus Theophilum eluderet. Cui sententiæ stabilindæ summus vir duo potissimum argumenta asserit. Primum quidem, quod non solum absurdum, sed etiam ab omni Ecclesiastica disciplina & Christiana pietate sit alienum, Theophilum virum piissimum, & acerrimum Christianæ Religionis vindicem, non solum per Baptismi lavacrum ad Fidelium numerum, sed etiam per manus impositionem ad Ecclesiæ regimen admittere voluisse hominem Christianæ Religionis dogmatibus non acquiescentem. Qui enim Baptismi gratiâ illuminare poterat hominem Gentilium errorum tenebras obstinatâ pervicaciâ defendentem? Aut qui veritatis viam aliis ostenderet, qui falsarum opinionum devia sectabatur? Alterum deinde telum ab ipso Synesio petit, qui epistolâ undecimâ ad Ecclesiæ suæ Presbyteros scriptâ, disertis verbis testatur, se Episcopi onus ἀπέσχηκεν, & μὴ

Ανατ: Totis viribus & omnibus machinis declinasse.

lis verbis hæc artes & contestationum machinas ait intelligi. Sanè ea excellentis virtutis natura est atque vis, ut splendidissimæ lucis instar quæ præcella in specula refulget, omnium animos ad se convertat, omniumque favorem blando quodam & occulto illicio sibi conciliet. Ego verò amplector & exosculor quidem magni viri affectum, qui omnem caliginis nebulam dispellere studet, quæ clarissimam Synesij famam offuscare, quæ Theophili gloriæ officere, quæ Ecclesiasticae disciplinae splendorem, & candidos piissimi sæculi mores denigrare videbatur. Sed multa sunt præfectò, quæ à recepta antiquiorum sententia in novam hanc discedere me nequaquam patiuntur. Nam ipsa Synesij verba adeò quidem perspicua sunt, adeò certa & manifesta, ut quâ ratione in dubium vocari possint, planè non videam. Contestationes verò adeò sanctis ac religiosis verbis sunt conceptæ, ut qui iis ludere, aut eludere alios voluerit, eum & conscientiam fidemque profligasse, & veritatem, Deumque veritatis præsidem ludibrio habuisse jure merito credas. Scribit fratri, atque in ejus sinum internos animi motus sensusque effundit. Publicam hanc contestationem esse cupit, ut apud Deum hominesque culpâ careat, si res malè evenisset. *Nolo*, inquit, *ementiri dogmata: hæc Deum, hæc homines testor. Veritas Deo affinis est, apud quem criminis expers omnis esse cupio.* Et quis non serio & ex animo eum loqui existimet?

Neque verò unâ hæc tantum Epistolâ, sed & aliis in locis testatur, se ad Episcopatum accessisse, nullis Ecclesiæ dogmatibus imbutum, nulla sacerarum litterarum cognitione instructum; quin imò extra Ecclesiam, & quidem alienis dogmatibus innutritum. Epistola 13. ad Petrum Presbyterum, συγγίμμον μὲν ἔμοι τῆτο, ἔλεγμα δὲ ἔμιν, ὅτι τὸν ἐκ ἐδόξα τὰ λόγια τὰ θεοῦ τῶν εἰδῶτων ἀρθεῖαι. *Mibi quidem condonandum, sed vestra culpa tribuendum, quod me divinarum scripturarum imperitum, earundem peritum anteposuissetis.* Et Epistola 66. ad Theophilum: ἔγω μὲν ἢ ἔτι πέρρωθεν ἐκτρέφην τοῖς νόμοις τοῖς ἱεροῖς, ἢ ἔτι ἢ μοι καὶ δίκαι πολλὰ μίμησθῆναι, πέρρωθεν ἢ πῶ γεροντί τῆ καταλόγου. *Ego verò neque à multo tempore sacris legibus institutus sum, nec multa admodum adhuc me didicisse par est, qui superiori anno Episcoporum numerum necdum eram adscriptus.* Et in fine Epistolæ 67. ejusdem Theophili precibus se commendat, quandoquidem propriis ipsius votis precibusque numen haudquaquam respondebat: διὰ ἱεροκρίτων τέλμαρ, inquit, ὅτι ἀσφατος ἐστὶ ἀμαρτίας, ἀποτροφεὲς ἐκκλησίας, ἀφῶν τῶν ἱερῶν ἡμίτος, θυσιαστηρῶν ἐψέσω θεοῦ. *Ob profectionem temeritatem meam, quod homo peccatis irretitus, extra Ecclesiam educatus, alio discipline genere institutus, ad altare Dei accedere non dubitavim.* Sed ut hæc compendi faciam, illud puto longè efficacissimum fore argumentum, si ex aliis Synesij locis planè convincam, eum jam non solum Christianum, sed etiam Episcopum,

Platoniam illam de animæ origine & præexistentia sententiam retinuisse. Sanè primum hymnum à Christiano scriptum editumque testatur sacrosanctæ Trinitatis mysterium, quod obscuris quidem verborum involucribus adumbrat potius quam describit; ita tamen describit, ut per timidæ orationis nebulam in sacra quadam caligine animus Christianus facillè agnoscatur. Nam Deum Patrem, *αὐτὸς ὁ ὢν ἀρχὴν*, Filium *αὐτὸς ὁ ὢν εἰς ὁμοῦς*: totam verò Trinitatem, *τρεῖς ὁμοῦς ἀλλὰ ἓν* appellat.

Ea verò quæ de humanæ mentis origine ex intellectualibus mundis deducta, atque in materiam delapsa subjungit, pura puta sunt Platonica, & cum Origenis dogmate planè consentiunt. Nam mens universi totum hoc universum animat, voluitque: inde jam quasi particula quadam divisa, aliæ stellis, aliæ Angelis attributa: *ὅθεν ἡ ἰσχυρὸς διὰ τὴν χρονοῦ ἐνεργετο μορφήν: Ἄλλὰ δεοῦς ἄνθρωπον ἐκ τῆς γῆς ἐκείνην ἔλαβεν, ἵνα ἴδωσιν τὴν ἀληθείαν, ἣν ἡ γῆς ἐκείνην ἔλαβεν, ἵνα ἴδωσιν τὴν ἀληθείαν, ἣν ἡ γῆς ἐκείνην ἔλαβεν*. *Alia deorsum vergenti vinculo terrenam sortita est formam, ubi Authoris & parentis sui oblita, tenebrosam hausit oblivionem.* Ut cætera taceam, quæ Platonici verbis sensuque de animæ reditu ad Deum ibidem subjunguntur. *καὶ ὁ θεὸς ὁ παρῆν* supponat, nemo vel obiter in Platonica Philosophia versatus dubitaverit. De secundo hymno similia producere licet, quem Authoris jam Christiani fœtum esse sacrosanctæ Trinitatis *θεολογία*, multò clarior priori, illa satis superque indicat. Cui deinde succedit series mentium, Angelorum, Heroum, demonum, hominum: quam Pythagoricam & Platoniam catenam ex uno Hierocle discere facile est. Quod autem sub finem ejus hymni Deum rogat, *ἵνα μὴ τὸ ἐν πνεύματι ἐπιπέσει χθόνος ἀτα: Ne mentis alas aggraves terra noxa*: nonne Platoniam *πνευμάτιαν* innuit, & illum *ἀτα* *λυμῶνα*, in quo anima *φυγὴς* *δέσσει* *ἢ* *ἀλλήνη*, *διπνίτης* *εὐλ* *&* *εἴρων*, juxta Empedoclem Pythagoreum, miserè versatur? Tertium verò hymnum, jam sacris initiatum & Episcopum descripsisse, nisi me omnia fallunt, liquidò hisce verbis indicat: *εἶδε ἡ ψυχὴ ἐκ τῆς γῆς ἐκείνην ἔλαβεν, ἵνα ἴδωσιν τὴν ἀληθείαν, ἣν ἡ γῆς ἐκείνην ἔλαβεν, ἵνα ἴδωσιν τὴν ἀληθείαν, ἣν ἡ γῆς ἐκείνην ἔλαβεν*. *Respicit & animam languentem, desipientem in tua Libya, in tuis veperandis sacris, sanctis precibus mentem.* Nam *ἱεροπολίαν* sacerdotium hic significare nemo credo negaverit, qui Poetas Mularum Sacerdotes *μοσοπλάς*, & Jovis Sacerdotes alicubi *ἁμοπιλάς*, peculiari nomine dictos non ignorat. Quin etiam nomine *ἐπιμελέας* *εὐλ*, non solas preces, sed universum Episcopi munus non hoc solum loco, sed etiam Epistolâ decimâ tertiâ, quinquagesimâ septimâ, & centesimâ vigesimâ primâ, & alibi Synesius complectitur. Atque hoc ipso in hymno, ut taceam *ἡσυχίας* *ζωοῦσιν* *ἢ* *ἡσυχίας*, ex Chalæorum Theurgia peritos, illa animarum divisio in *ἀληθῆ* *&* *κλιμαίναν*, an non Platonis atque Origenis sectatorem *γρηγοῦσιν* ostendit? Quid enim anima *ἀληθῆς*, nisi ea quæ constantè in divino amore & summi boni contemplatione persistit, neque ad inferiora hæc affectu & inclinatione vergit? Hæc animas, *θεῶν ὁπασῶν*, Deo-

Arum affectas vocant Platonici: de quibus Proclum videre est elemento Theologico CLXXXV. Altera autem illa *κλιμαίναν*, sive inclinatio est, quæ relicta statione cælesti mortale corpus subit, in quo tanquam in tenebroso carcere pœnas luit. Hunc errorem Origenis palmarium notavit damnavitque quinta Synodus: ex qua multa mihi proferre liceret ad hujus dogmatis confirmationem, nisi tempore funul & vestra patientia abuti vererer; unum duntaxat locum libri 2. *ἐπὶ ἀρχῶν*, ex dicti Concilii actis afferam; cum Synesii verbis oppidò quàm consentientem. *ἡ ψυχὴ*, inquit Origenes, *σπῆρμα τὸ καλὸν, ἐπὶ τῇ κακίᾳ προσκλινομένη ἀποστρέφεται ἢ ἀποδυστασία, ἢ ἀπὸ τῆς ἀλλοτρίου, ἢ τῆς ἐνδοχῆς πύρας. Anima desluens à bono, & inclinata*
B *ad malum, sicut jumentum, & effertur, eligitur ut obstruscatur, vitam aquatilem.* Ad postremum hoc alludens Synesius, hoc ipso hymno, homines *ἐπιπέσει* Homericæ Epitheto appellat: *ὡς δὲ δύχως τὰς ψυχὰς ἔχοντες: Quod animas hinc & percussas habeant*, ut ait Porphyrius libro de antro Nympharum. Idem de mystica & arcana resurrectione, cæterisque Platonici dogmaticis, ex iisdem hymnis probarem, nisi hæc jam abundè ad fidem faciendam sufficere existimarem.

Sed hic mihi nescio quis autem vellicat, ecquid tandem, inquit, gravissimo Baronii argumento respondes? Quia conscientia **C** Ptolemaidenfes hominem tot erroribus imbutum ad Ecclesiæ regimen vocarunt; aut quo animo Theophilus vocatum ordinare non dubitavit? Itane tandem Apostolorum præcepta, Conciliorum Canones, Ecclesiæ decreta, statuta Patrum penitus concutere ausus est? Non ne audierat Paulum præcipientem Timotheo, *μὴ νεφώσῃς*, *Non Neophytum, ne inflatus in iudicium incidat & laqueum diaboli?* An ignorabat Apostolicum Canonem octuagesimum: *τὸν ἐξ ἐθνῶν σὺν προσέδοκῃ ἢ βαπτισθέντα ἢ δικαιὸν ἐστὶ παρ' αὐτὰ ἀποχειρῆσαι ἐπισκοπῶν.* **D** *Ex ethnica seu gentili vita conversum & baptizatum, non equum est statim Episcopum eligere.* Cui rationem adjunxerunt: *Quia injustum est, eum qui nullum sui documentum dederit, aliorum esse doctorem.* Nonne à magno & celebri Nicæno Concilio idem feverissime interdictum, & mox in Sardicensi Concilio repetitum noverat? Fateor, Auditores, certas clarasque esse Ecclesiæ sanctiones & Patrum regulas. Sed nonne ipsius Pauli exemplo constat, gratiam divinam sepe numero sacras atque humanas leges transcendere? Unde in Apostolico Canone cautè exceptum, *εἰ μὴ πρὸ κατὰ θεὸν ἔσται τὸ γίνεσθαι.* *Nisi id per divinam gratiam alicui fiat.* Es quippe legum angustias dedignatur, neque ullis se limitibus circumscribi patitur. Quin imo multa quotidie in primæ illa Ecclesia contra Apostolica instituta evenisse, ipsa Nicæni Canonis verba ostendunt: *Quoniam plura, inquit, aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus adversus Ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & instrueti brevi tempo-*

re, mox ad lavacrum spirituale perducerent, simulque ut baptizati sunt, etiam ad Episcopatum vel Presbyterium promoverent: optime placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam & tempore opus est ei qui catechizatur, & post Baptisma probatione quam plurima. Rectè, inquam, ostendit multa secus facta, *ἡτοιμασθὲν ἀνάσκειν, ἢ ἄλλως ἐπιγρηθῆναι τῶν ἀδελφῶν*. Atque hujus rei tria nobis luculenta exempla, una Nicolai I. ad Photium epistola suppeditat, Nectari scilicet, & Tarasii in Constantinopolitana, S. Ambrosii in Mediolanensi Ecclesia. Quorum electiones Ecclesia necessitate adacta fecit, aut factas probavit; sed ut iterum fierent, non confirmavit, nec insituit. *ὡ νόμοις ταῦτα εἰδόμενα, ἀλλὰ τοῖς κατὰ τὸ ἀποστολικὸν ἀρχαῖα*, ait Nicephorus. Atque omnes hæc causas in Synesii electione concurrere facile perspiciet, qui ea quæ diversis in locis ipse de se prodidit, consideret. Nam vi atque ingratis se ad hoc munus fuisse pertractum, nihilque tale cogitantem, quin etiam renitentem, & deprecantem, passim testatur: qui mortem & gravissima quæque præ Episcopatu lubens elegeret. Quid si maximam præsentissimamque ejus eligendi necessitatem fuisse dixerim? Facile mihi adimplabitur, qui calamitosa illa ruentis Imperii tempora, qui corruptissimos ejus sæculi mores, qui afflictissimum Africanarum Provinciarum statum æqua animi lance expendat. Quæ quidem omnia nemo luculentius, nemo accuratius ipso Synesio depinxit. Videmus isthic Imperatores pueros, omnium regnandiarum expertes, domi inter eunuchorum, morionum, & adulatorum greges in otio & deliciis delitescentes, subditis & præsertim militibus non nisi per pieturam notos, qui extremas illas Imperii lacinias partim Magistratum avaritiæ & inexplebili cupiditati, partim Barbarorum invasionibus diripiendas & excindendas relinquebant: de quibus nec conqueri impune licebat: aut si extrema necessitas subditos ad Principis aures compelleret, longis & sumptuosis ac plerumque irritis legationibus exhauriebantur. Unum miseris affulgebat auxilium, ut virum aliquem eloquentiæ aut civilis prudentiæ facultate, aut magnorum virorum gratia & amicitia pollentem, sibi patronum & quasi tutelare numen legerent, sub cujus umbra delitescerent, qui imminentes calamitates averteret, Provincias & civitates pessundatas erigeret & confirmaret: quod elegantissime aliquot ipsius Synesii ad Pylamenem epistolæ abunde docent. Præsentissimum autem ab Episcopis affulgebat subsidium, qui ipsa muneris autoritate instructi atque armati videbantur adversus Provinciarum magistratum oppressiones. Hæc necessitas, hæc spes Prolemaidenfes impulit, ut Synesium sibi Episcopum poscerent, cujus opem universa illa Provincia illustri Legatione apud Arcadium, vel, ut alius placet, apud Theodosium ejus filium, fuerat experta. Videbant præterea hominem illustri nobilitate & ma-

agna sapientiæ laude conspicuum, & principum virorum amicitia ac favore subnixum; quæ quidem omnia magno sibi præsidio futura haud vane concipiebant. Sed profectio major quædam vis, hoc est Dei gratia; Synesium ex privato otio ad Ecclesiæ suæ ornamentum pariter & præsidium protaxit. Hunc ille consilij istius Auctorem epistola II. & 95. agnoscit; huic ille vocantij manus dedit collumque submitit. Neque aliam electionis causam Evagrius, Nicephorus, & Photius retulerunt. Scilicet per spectum habebat Theophilus animum *ἄπο τοῦ Θεοφίλου τῷ Χριστιανισμῷ προσκείμενον*: Ad Christianam religionem propensorem. Experimento didicerat, quam facile veritati cederet; & quam nullo negotio homo Platonis dogmatibus imbutus ad exactam Christianæ veritatis cognitionem traduceretur.

Sed maximam interim & difficillimam questionis partem mihi superesse video; quinam homo tot erroribus inquinatus, ad Baptismi lavacrum fuerit admittus? Ego ut meam vobis sententiam quam planissime explicem, id vos, Auditores, cum animo vestro repetere velim, quid paulò ante à me demonstratum fuit, eadem hæc dogmata, quæ Synesio pertinacius infidebant, jam pridem ab Origene Alexandrinam Ecclesiam fuisse invecta. Ubi ille permultos habuit sectatores, eos præcipue qui ex Gentilium Philosophorum schola ad Christi Ecclesiam transibant. Quin imo haud verear affirmare, Christianos, ut prolato Ecclesiæ pomario quam plurimos ad suas partes adducerent, eos præsertim qui secularis sapientiæ & eruditionis gloria excellerent, multa per *συγκατάθεσιν & συμπεριφορὰν* & ut Nicephori verbis utar, *κατ' οἰκονομίαν* ad tempus tolerasse, quæ vel usu ipso, vel longiori magisque accurata institutione emendari posse existimabant. Quod sane nuspam majori cum fructu fieri potuit quam Alexandriæ, ubi non solum ob veteris Musæi gloriam, sed etiam ob recentem Platoniorum Academiam ex Athenis eò traductam, ingens doctorum hominum multitudo versabatur. Quam etiam ob causam Christianæ religionis Antistites, *ἀριθμοὶ δὲ ἀσκαλοὶ* illi, qui scholam Catecheticam à S. Marco institutam ordine rexerunt, Pantenus inquam, Clemens, Origenes, Dionysius, Ammonius, alique, magnam externæ quoque sapientiæ & potissimum Philosophiæ operam impenderunt, ut scilicet humanam sapientiam suis artibus irretitam stultitiæ Crucis Christi submitterent. Origenis autem dogmata quod multos eosque celeberrimos haberent defensores, diu in Ecclesia delituerunt. Quæ licet privatis nonnullorum scriptis exagitantur, nunquam tamen ante extrema Justiniani tempora, hoc est 553. Christi annum generali Synodo damnati fuerunt. Neque id silentio prætereundum, quod Theophilus ipse Origenem, quem publicè suggestillabat, & quem mortuum primus Ecclesiastica communione privatum diris devovit, privatim diligentissime legere non verebatur, ut Socrates lib. 6. cap. 15. prodidit. Quæ res Synesium, Platonis ac proinde etiam Origenis studiosissimum, ob intimam cum Theophilo familiaritatem latere non potuit. Quo-

circa non adeo mihi mirandum videtur, in tanto A Origenistarum & Platoniorum numero Synesium quoque ad Baptismum fuisse admissum: Cum omnia Alexandriae & Aegypti monasteria iisdem opinionibus essent infecta, quod ex iis Theophili & successoris ejus Cyrilli litterarum fragmentis apparet, quae in quinta Synodo referuntur; quae ad horum temporum Historiam cognoscendam inprimis faciunt. Iis quae haecenus à me certissimis, ni fallor, rationibus comprobata fuere, multas addere possem haud quidem levioris momenti conjecturas, quibus Synesii animum etiam post susceptum Christianae religionis Sacramentum nimio adhuc affectu in Platonice Philosophiae dogmata & Platonium vivendi institutum propendentem & quodammodo *ἐναμφορτελέοντα* arguerem. Sanè magna Dionis pars, & postrema ad Hypatiam magisram epistola, satis ea quidem proluxa, doctrinam studiaque Platonica contra Monachos Aegyptios *τὸ ἐν τῆς ἡγίας ἀχαΐης*, ut ipse loquitur, eorumque asceticam vitam non sine aculeis tuetur, quamvis ipse sive metu, sive reverentia, animi sentia sermone admodum *ἀνιζμα τῶν* involvat. Neque mihi sublato spatio omnium oculis animisque ea objicere libet, ne quis fortè aut nimis me morosum in tanti viri naevus atque erroribus pervestigandis, aut in iisdem persequendis iusto prolixiorum existimet: Praesertim cum maximis virtutibus & insigni Catholicae religionis zelo paulò post eosdem redemerit. Etenim cum epistola 95. statim post susceptum munus septem mensi-

bus se peregrinè à suo Episcopatu abfuisse scribat, *πρόσωπον διαπεράμειν τὸ ἐργάματ*, è longinquo rei periculum faciens, donec quae ejus muneris natura esset, accuratè penitusque didicisset; Haud dubium est, quin seridè tum seduloque Christianae religionis mysteriis pernoscentis incubuerit, quibus docendis Deus eum Ecclesiae praefecerat. Prima enim rectè gerendi muneris pars est, novissè quod susceperis. Et profecto magnam Catholicae fidei defendendae ac conservandae sollicitudinem, & pulcherrimam boni pastoris ideam nobis exhibet epistola v. qua Presbyteros suos de Eunomianis cavendis praemonet. Ut & cxxviii. qua Episcopum ab Arianis sede sua pulsum consolatur; ubi genus illud pestiferum, ut *θεομαχὸν πατέραν ἀγίοις πατρίων*, hoc est, Deo sanctisque Patribus inimicum & rebellem, perstringit. Taceo summam erga Alexandrinam sedem observantiam, pacis & concordiae studium, erga Coepiscopos benevolentiam; animum non minus in damnandis sceleratis intrepidum, quam in lapsis revocandis recipiendisque mitem & benignum. Sed mihi de singulis divini hujus viri virtutibus commodior erit discerendi locus, ubi alterum propositae epistolae nodum contra aequivocationum & restrictionum mentalium patronos vindicandum proposuero. Dixi.

Problematis loco proximo consessu disquirendum propono, quid sibi velit *ὑπερομῆ* titulus quem Synesius epistola 121. Anastasio cuidam tribuit.

Finis Dissertationum Lucae Holstenii.

ADDEN.